

WERNERI ROLEVINK LARENsis
ORD. CARTHUS.

DE

ANTIQVORVM SAXONVM SITV
ET MORIBVS
LIBRI TRES.

Ortvvini Gratii Præfatio in iteratam ann. 1514. editionem
Rolevinkiani Opusculi.

CLARISSIMO AT QVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI,
ET REVERENDISSIMO IN ECCLESIA DEI,

DOMINO ERICO

Monasteriensis Diœcesis Pontifici optimo maximo Ortuvinus de Graes,
Coloniae bonas literas docens,

S. P. D.

LAudes Westphalie & antiquorum Saxonum gloriam, resque clarissime gestas, serenissime Princeps, ac Pontifex Christianissime, ante annos (si opinor) sex & viginti à Werner de Laer ordinis Cartusienensis, doctissimo propter atque integerrimo viro, apud nos Coloniae, pulcherrimo hoc opere conscriptas, in circa & celsitudini tuae nuncupamus, proque nostra partitate modo dicamus, quod cui bac nostra tempestate magis debeantur, aut à quo gloriam ampliorem certiusque patrocinium consequi possint, agnoverimus neminem. Tu enim antiquissimæ ducalisque domus gloria viget, estque immortalis tanquam ubi ac Phœbi splendor cuncta collustrans. Proinde tu corpore simul atque animo felicissimus habere: ita etiam, ut de te duntaxat solo, quam rectissime illud dici conveniat, quod species Priami digna fuerit imperio, falsumque plane Homerus hoc modo cecinisse censeatur: Non uni dat cuncta Deus, formosus ut idem, sit simul & prudens, ac multa laude disertus. Tu itaque qui dux es inclitus & Westphalie celeberrimus princeps, omniumque (ut dixi) mortalium & corpore & animo felicissimus, protuabunditate opusculum hoc grata suscipes manu, atque ita suscipes, ut que primariis olim Westphalie principibns consecrata fuerunt, tuae quoque nobilitati non immerito dicata judicentur. De laudibus enim Westphalie quis non multa atque egregia profera. Nullus est locus sub orbe lunari, neque tam reconditus, neque tam scopulis praecip, aut Neptuno perius, in quo non inveniatur Westphalus, & fide & religione preclarus. Natura quadam bonitate, & ingenito divinitus munere, tantum ceteris hominibus prestare videtur omnis Westphalus, quantum animi corporibus antecellunt. Hoc igitur tetraistiche nostrum omnem celebramus conterraneum:

Westphalus in cunctis solers, atque ore modestus
Vividus ingenio, religione sacer,
Nobilis officio, nulli probitate secundus,
Illustrans orbem, conjugé, prole, domo.

Verum enimvero, ut paucis concludam, inclitissime princeps. Ego Ortuvinus servus (ut sic dicam) tuus, in tua Diœcesinatus, sed Daventriæ sub patruo meo domino Joanne de Graes nutricis lacte & bonis debinc artibus tempore Alexandri Hegii, illic immo

gymnasiarchæ, enutritus, altus atque auctus, & ob id ipsum vulgo Darentriensis cognominatus, commendo magnificentie tuae patrem meum Fredericum de Graes, antiqua laudabilique ortum prosapia, & sorores meas quinque, virgines praesertim vestales tres Deo consecratas, meque postremo ipsum, ut tua bonitate & gratia adjuti, altiorem quandoque dignitatis gradum consequamur. Vale præful dignissime. Coloniæ ex officina nostra literaria. Amo à natali Christiano. M.D.XIV.

Octavo Calendas Februarias.

* * *

DEDICATIO AVTHORIS

Vobis inclitis ac illustrissimis Principibus antiquæ Saxoniæ, nunc Westphaliæ dñe, & praesertim Reverendissimis in Christo Patribus ac Dominis Domino Hinrico de Svartzberch Monasteriensi; Domino Conrado de Depholt Osnaburgensi; Domino Symoni de Lyppia Paderbornensi; Domino Henrico de Schauenberch Myndensi Pontificibus; nec non clarissimis ac Generosis Comitibus Nicolao de Rekenneborch; Euervyno de Benthen; Euerwino de Stenuordia; Philippo de Waldegg; Frederico de Brunchorft, Cæterisque Venerandissimis Prælatis ac Dominis, & præcipue Domino Godfrido Episcopo Trecalenſi; Domino Hermanno de Langhen Dacano Majoris ecclesiæ Monasteriensis; Domino Bernardo de Schedelych; Balivo & Commandario Domus Stenvordensis; Reliqvisque Conventualibus ejusdem; Dominis meis de ordine Sancti Johannis Domino Abbatii in Thorb ordinis B. Benedicti; Domino Abbatii Campi Mariæ, ordinis Cistertiensis; Domino Arnaldo Drolshagen Burgmagistro Monasteriensi; Domino Erwyno Burgmagistro Osnaburgensi, ac karissimis Fratribus ac Sororibus Cognatis, affinibusque ac aliis incolis universis ejusdem provinciæ, cujuscunq; status & conditionis & Salutem plurimam apud altissimum optat humilis Capellanus & Compatriota velter cuius nomen sit in libro vitæ. Cum hæc fragilis vita plurimis sit tædiis circumsepta; & id circa ad recte vivendum non parum præpedita, hoc inconcussum ab olim extitit sapientum consilium, quatenus alternatim honestis gaudiolis se mutuo amici refoverent, & ea quæ fatigatum animum relaxarent, quasi pro enceniis affectuose transmiserent. Et quanquam plnrimu in commendatur istud apud vicinos, gratius tamen suscipitur ab extraneis, & adhuc gratissimè ab exilibus, quos tantus amor perstringit, ut nec longè positi obliviscantur amicorum & carorum suorum benevolentiam. Hinc laudabili more exivit observantia hæc & vetus proverbium inoluit, quasi nihil sit amicitia, si non industriosâ largitione conservetur. Didicerunt hoc nostri apprimè nostrates, per varia mundi climata dispersi, crebro ad patriam suam munuscula transmittentes, quasi pristinam ac nativam amicitiam revocantes. Didicit & hoc mens mea pro modulo suo & prompta est, sed cum mihi materialium enceniorum apparatus non sit, de spiritualibus incumberet cogitari, si tamen facultas adesset, si sermo suppeteret, si oratio faveret. Et quia non facile potuit tenuitas mea reperire, quod novam delectionem inferret, aut utilitati suaderet, cœpi studiosius animadvertere, id fortasse vestris Dominationibus gratum fore, quod mihi post multos labores fors transmisit, ac menti suavissimè influxit, scire videlicet vel audire aliqua relatu digna de patriæ nostræ exortu, institutione, & decursu. Insuper & illustrium virorum exempla ad memoriam revocare, quorum industria & labore infatigabili nedum hæc patria nostra verum etiam tota Christianitas ad meliorem statum legitur revocata, & usque in longissimum conservata. Huic igitur operi insudans, ex omnibus, quæ legi & quæ visa sunt mihi fide ac memoria digna, in hunc libellum digessi, simul obsecrans, si vota, si preces essent apud immortalem Deum locum habituæ, quatenus quicunque adipsum per legendum defleceret, & animi jocunditatem, ac recti exempli qualemque specimen ad imitandum hauriret. Gloriis proinde vestris hoc opus dedicans ipsum in tres partes principales dividere optimum censui, quarum prima respicite ea quæ concernunt statum

statum ejus à tempore conditionis primævæ usque ad conversionem ipsius. Secunda de modo processus ac variis eventibus & miraculorum gloriæ, qvæ contigerunt in ipsa conversione ac sacræ fidei introductione, & de provida institutione ipsius provinciæ. Tertia de his, qvæ respiciunt conditionem & mores populi hujus alegatione solenni qva funguntur in orbe. Et qvia S. Gregorio teste, qvi in re Domini in ipsa fidei pietate se ad loquendum præparat, & corpore pretium est à sacris scripturis exordia dicendi suscipiat, ut omne qvod loquitur, ad divinæ autoritatis fundamentum firmiter reducatur, ideo hac exhortatione provocatus, verbum qvod loquitur pro themate assumpsi, dicens:

* * *

PRÆFATIO.

VARIAE sibi succedunt cogitationes meæ, & mens in diversa rapitur Job, 20. Splendor paternæ gloriæ, verbum increatum, cui de omnibus cura est, per qvod omnia subsistunt, in quo omnia vivunt, sua immenſa virtute atqve sapientia, abyssum abyſſo comparans, tam multiformi varietate, variaqve multiformitate, rationalem animam ad imaginem suam formata dignificavit, ut ei nulla ſufficient, præter eum qvi supremus est. Verum qvia parentum delicto exigit pœna, tantam creaturam velut exulem ad tempus vagari, & à sua voluptate alienam manere, rurſum eadem sapientia latissimum campum contemplationis aptavit, eidem qvo velut in ſpeculo & ænigmate delectabiliter ſe exerceat, donec ad ſuum principium, id est, abyſſum totus boni, cum multo fructu feliciter revertatur. Est autem inter ſpectacula cetera, ſenſibilis modis iſte cum habitatoribus ſuis olim puncto comparatus, nunc vero multiplicum gratiarum myſtico nobilitatus, & ſacris rebus animam christianam exercens, qvando tot & tanta omni mīmone digna in eo facta, & adhuc fienda conſiderat. Hoc ipsum qvalicunqve parvitate mea expertus, pro viribus perqvirens, crebroqve deficiens, jam latus, jam tristis: jam nolens, jam volens; jam ſolatio, jam fastidio ſubactus: freqventer aſſumpta verba proclamare cogor, dicens: Virtus ſibi ſuccedunt cogitationes meæ, & mens in diversa rapitur. Et licet insignium provinciarum memoria, qvam ſacro eloqvio, ac aliis tradentibus codicibus gloriola eſt, impotune animo ſe ingrat, tamen nelcio qva forte in Westphaliā, qvafī in natale ſolum delectabilius advolō aben veluti ipſa præ cunctis aliis, qvod non putatur, deliciis atqve divitiis ſit referta. Puto aliquid ibi latere, qvod non æqve præſto mortalibus eſt, de qvo ſi fermo ſuppeteret, tanquam patre debitor, ad dei gloriam, & cunctorum istorum qvi hinc originem traxerunt, & de post hunc ſunt, pauca ē multis utinam fructuofe placere conſcribere. Gloriabatur olim Roma orbis domina factis abundare, oratoribus caruiffe, qvi famosa opera ſcripto ad posteros transmittent, nec id circo doluisse, cum plus virtutibus qvam verbis abundare affectaret, hocqve ſibi inuidem dici, Græcia retinente, qvæ ſemper ab omni ævo propter præclarar ingenia illi abundantia etiam exigua facta, multa ſermonum phalera prosequura fuerat. Si ergo filens Roma loquaci Græciæ prælata eſt, cui VWestphaliā comparabimus? qvæ etiam illiſtribus viris ditissima, pone nunquam jaſtantiam operum ſuorum ostentare curavit, ſive ſcriptis, picturis, ſculpturis, aut aliis characteribus qvibuscunqve. Scriptum namqve novit: Laudet te alienus, non os tuum. Et iterum: Propria laus ſordet, ſed nobilis eſt aliena. Hanc doctrinam ſic ſtudioſe uſque in præſens obſervavit, ut qvod mirandum reor, ioter tot qvos percurri codices vix unum reperi, ab aliquo Westphalone conſcriptum. Sed & pauca qvæ legi apud Francorum, Anglorum, Rhenenſium Saxonumqve annales eo ſplendidius provinciam hanc glorificant, qvo veriora venſtioraqve ſunt qvæ narrantur. Solvo igitur legem noſtratum hucusqve silentium, & aliqua latet pauca omni laude digna depromere curavi, & eo licentius qvo jam ultra triginta annos ex alienis exemplis provocatum, me cerno. Suscipe grata gatia, qvæ oſſa mea non habebit, munuſculum hoc parvum, & rectis exemplis id ornare curato, ut ſuccesſores in memoriam noſtri habeant, ac probis moribus jugiter in fama & omni legalitate effulgeant.

R. P.

R.P. WERNERI ROLEVINC LARENSIS
ORDINIS CARTHVSIANI DE MORIBVS ET SITV,
WESTPHALORVM.

LIBER PRIMVS.

IN QVO AGITVR,

DE SITV, MORIBVS, SIMPLICITATE, CONVERSATIONE, PE-
REGRINATIONE PER ORBEM, VICTORIA CONTRA ANGLI-
COS, ET DE VIRTUTE WESTPHALORVM.

CAPVT I.

*De situ Westphaliæ & distinctione principatum in ea
contentorum.*

WESTPHALIA, de qua nunc intendimus, terra est non vinifera, sed viri-
fera, eo altius à summo deo creatore omnium privilegiata, qvo preciosiora (ut sic
dicam) clemodia mundo celiqve transmittit. Hæc pro suo situ in partibus Alema-
niæ inferioris jacet, ab oriente Saxoniam à meridie Rhenum, ab occidente æque
Rhenum vel Issulam, à septentrione Oceanum habens. Ambitus ejus quasi rotun-
dus circumfertur, cujus diameter quinque dietarum metitur. Nam Saxonibus
contingua vergit ad Hassiam, deinde ad Westphaldam, (a) hinc ad ducatum Montensem super
Rhem situm, deinde ad ducatus Clivensem & Geldensem se mutuo complectentes, hinc ad
Tuyentam, Drentam, Frisiamqve ac demum ad Saxoniam iterum pertingit. Habet perinde e-
picopatus quatuor, videlicet Monasteriensem, Osnaburgensem, Paderbornensem & Mynden-
sem. Ducatus ab olim duos, videlicet Westphaliæ & Engariæ. Comitatus domusqve illustres
plures, scilicet Bentem, Thekenborch, de Marka, i. de Waltegen, de Speygelburch, de Dynxlaiken, Ol-
derburch, Depholz, Rauensburg, Lymburch, Arnsburch, Rethburch, de Lippia, Buyren, Recklynhusen,
Ludschijen, Steinfordia, Horstmaria, Borcklo, Brunckhorst, de Bhemen, de Cappenberg, Aliosqve
baronum, nobilium, domiciliorum castra atque pagos, qui (ut quibusdam placet) priscis olim
temporibus sub uno rege illius terræ tenebantur confederati, alio tamen nomine nuncupati, ut
infra dicetur. Hanc olim Julius Cæsar, & post eum Drusus privignus Octavianus, seu rectius Octa-
vii Augusti, maximis & desperatissimis bellis Romanorum ditioni subjugarunt, & qvod corpora in-
gentia ejus incolæ habuerint, historiographi narrant. Testatur Sveronius, nullum formidolosi-
us bellum egisse Romanos post P. unicum, quam cum Germanis, sed breve tempus finem dedi-
cognitum. Triennio enim tantummodo pugnatum est, & Quintilius Varus cum pluribus cecidit.
De hac terra sic legitur in libro de proprietatibus rerum: Westphalia germaniæ inferioris est provin-
cia, quæ nobilissimis iobus fluminibus cingitur, id est, Vesero & Reno. Terra est multum nemorosa,
paucosa, plus alendis gregibus quam ferendis fructibus apta, multis fontibus & amnibus est irrigua,
Emola, Lyppia, Rura &c. Fontes habet salis fœcundos & montes fertiles. Metallis abundat terra, fru-
ctibus, glandibus, nucibus atque pomis, etiam feris, porcis, pecudibus & jumentis referta. Populus com-
muniter elegantis statura est & pulchra venusta que forma, & fortis corpore, & audax mente. Militiam ha-
bit copiosam, ac mirum in modum animosam promptam ad arma & mox paratam. Civitates habet fortes
& manitas. Castra fortissima & oppida tam in montibus quam in planis. Hac in predicto libro.

Verum his apponenda sunt aliqua, videlicet qvod in quibusdam locis est maxime frugifera,
scilicet circa Salsatum, Tremoniæ, Paderbornam ad longa spatia, & in Diœcesi Monasterensi, de
communib[us] necessariis sic dotata, ut si inter montes niveos esset circumlecta satis, ac super abs-
que alliarum provinciarum succursu, possent ibi habere homines, de quo bene vivere possent. Scio
ne plura loca, ubi nihil adduci solet de alienis terris, nisi forte, species, vinum ac pannus preciosus
cum pauculis pecuniis quam utique necessaria incolis non essent, propter rerum ibi necessariarum
abundantiam.

Sunt proinde quædam Westphaliæ partes ita steriles, ut vix aquila ibi pullos suos nutrire
possit, & tamen stupore grandi homines ibidem habitant; fortes, sani, decori, quasi rore cœli su-
stentati. Hitamen ex viciniis provinciis auxilia victus, sibi per labores & industriam procurare
solent. Ceterum quicquid olim de Westphalia, sive scriptum, sive dictum sit, nos hodie vide-
mus

Hhhh

(a) Westerwald.

mus, qvod in pinguibus bobus, vitulis, porcis, metallis, lana, & lino, tritico optimo, hpiis bus, tam ad imagines sculpendas, sive domos extruendas, qvam ad molares & coes faciendas, lignisqve ad diversos usus aptis, & aliis qvibusdam ita abundat, ut circumiacentes provincias supra qvam credibile cuiquam sit, reficiat, & etiam ultra mare sua mercimonia transmittat. Potius hæc qvanquam Dei dona sint, & cum omni gratiarum actione recipienda, Tamen hæc parvæ æstimo, respectu virorum proborum, qui omnibus bestiis aliisque rebus, incomparabiliter præstantiores sunt, omniaqve excedunt, qvæ in obseqvium humanæ necessitatis veniunt, qvorum copia in Westphalia esse solet, à diebus antiquis. Et profecto nullam scio regionem in Christianitatem que nostra Westphalia comparari posse, in hac parte, ut tot animatos homines utriusque sexus emitta, & nihilominus suam provinciam copiose exerceat, & in nullis, que ad rem spectant, vel in minimis negligat, siqve semper parata in id ipsum, id est in persones absque ullo prærio gratis emittendis. Et de his nunc non dicendum.

CAPVT II.

Unde processit gens Westphalica, & de primis cultoribus terræ illius.

VNDE Westhalones processerunt specialiter, aut qvis princeps eorum primus extitit, aut qvomodo illuc primum venierunt, aut unde egressi, & qualiter profecerunt inter terras ad liquidum reperire non potui. Qvod autem verisimiliter ex certis indicis aliarum gentium, qvæ scripta reliquerunt, mihi videtur, breviter exponam. Et primum advertendum est, qvod gens ista à principio non fuit hoc vocabulo nuncupata sed postqvam Karolus Magnus eos ad fidem convertit, hoc nomen sibi assumperunt, quasi in distinctionem ab aliis Saxonibus, cum qvibus in panagismo eodem nomine nuncupabantur. Qvia ergo ipsi primo ad fidem venerunt, & Saxones orientales adhuc graviter bellabant contra Principem sanctum, quasi gloriantes de sua conversione, se Westhalos, id est Westfideles nominare maluerunt. Alii dicunt, qvod Phales, olim, idem qvod socius dicebatur, & sic Saxones qui erant ultra Weseram dicebantur Oestphali, qui citra Westphali, & secundum tales erat nomen antiquum. Quidam putant, qvod sic dicitur sint à qvadom campo occiduo, sicut Westervalder à silva nomen traxerunt. Qvicquid horum verius est, non summopere curandum reor, cum hujus certum sit, qvod antiquitus haec terra Sannia vocabatur, sicut adhuc in qvibusdam locis de more est, qvod conscriptiones & atlus judiciorum ibidem fiant sub Saxonum nuncupatione. Idem patet ex pluribus historiis, de qvibus infra dicetur.

Nunc autem, ut cepimus, percontari libet, unde primum venerunt, qui hanc terram incollerent & inhabitate cœperunt. Ubi est sciendum, qvod Noe tres filios habuit, scilicet Sem, Cham, & Japhet, ex qvibus propagatum est universum genus hominum super terram post diluvium, ut dicitur Gen. 10. Crescente autem multitudine populorum, cum adhuc omnes essent in templa-naar Turrem Babylon aedificarunt, & impediti divinitus intermisserunt opus inceptum, propter confusionem linguarum. Fuerunt autem in universo septuaginta duæ nationes sive progenies principales, qvarum viginti septem descenderunt de Sem, triginta de Cham, & quindecim de Japhet. De qvibus Augustinus, 16. de civitate dei, diligenter tractat, dicens inter cetera, Hærum gentium vocabula partim manserunt, ita ut & hodie quoque appareat unde fuerint derivata, sicut & Assur Assyri, & Heber Hebræi, partim temporis vetustate mutata sunt, ita ut vix homines & etissimi, antiquissimas historias perscrutantes, nec omnium, sed aliquarum existens originem gentium potuerint reperire, &c. Denique coacti Noæ à se mutuo recedere, sortem miserunt, ut quæ gens sciret quam terram recuperet in possessionem. Tota autem terra natura habitabilis, divisa est in tres maximas partes, scilicet Asiam, Africam, & Europam, qvæ filiis Noe distributa est. Cecidit ergo sors prima filiis Sem, ut Asiam possiderent: Hoc est, ut in eodem loco, scilicet Senaar, & terris circumcirca adiacentibus; remanerent. Cecidit sors secunda filiis Cham, ut Africam obtinerent, hoc est, ut à fratribus suis recederent usque ad Aegyptum & eam ceteraque regionis usque ad extremos fines maris Atlantici incolerent. Aegyptus enim (ut apte propheta regius David testatur) terra Cham dicitur. Mansit tamen Canaam filius Cham contra fas in Syria Palestina, qvæ nunc Judea dicitur, ut terra promissionis, & ibi gentem constituit fortē & magnam cum multis titulis notis in Scriptura Sacra. Et qvoniā inuste fecit contra filios Sem, id est post per Hebreos, qvibus Josue de mandato domini præfuit, qui descenderant de femore Abram, justa ejus posteritas delata fuit, ut testatur Beatus Augustinus in qvadom sermone le legesse in sacris libris. Cecidit sors tertia filiis Japhet, ut Europam in possessionem acciperent, hoc est, ut mare mediterraneum transirent, & loca residua inhabitarent. Unde dicitur, qvod Japhet aedificavit Jaff, civitatem antiquam, qvæ porrus est ad insulas maris, & nomine alio dicitur Jopen, ac inde navigarunt filii ejus ad loca deputata. Habuit autem Japhet inter ceteros filium quendam nomine Magog, à quo Goti traxerunt originem secundum Hieronymum, in libro

libro de qvæstionibus Hebraicis. Ab isto Magog velut homine sorti descendit stirps robustissima, qvæ Scythica vel Gotica dicitur, ad omnem horrorem frigorum & caumatum usqve in præsens impavida. Unde & ob hoc terram pene inhabitabili perdomuit, & qvod dictu mirum est, suis moribus servire coegit. Ubi alii timoris mortisqve imaginem suspicabantur, illuc isti secundum pene in orbe regnum, qvod Scythurum dicitur constituerunt. Horrendus populus qvæ olim magnus Alexander Macedo pertimuit, dicens, Qvi victor esse cupit, à Gothis se abstineat. Novit eos tanquam vicinus, qvorum & vilissimo cibo & vestitu inculto, fortissima membra tegebant, & nullis plumis aspergunt, sed cælo horrido similita ingenia habentes. Hi sunt, qvibus Julius Pompejum debellans plus vicit celeritate qvam potestate, glorificansqve eos ait: Nunc scio hostem nostrum fortuna destitutum, qvoniam talibus auxiliatoribus stipatus, triumphare nequit. Horum profugi Romam orbis dominam, Italiam, Africam, Lombardiam, Galliam, Hispaniamqve per sexcentos annos mirabili ferocitate, nullo resistere valente, attriverunt. Ecce breviter plura concludendo, de Gothorum potentia & triumphis insuscipibilibus, pleni sunt libri tam paganorum qvam Christianorum. Verum licet regnum istud sit veruissimum, tamen qvia barbarorum est, inter principalia regna non computatur. Unde propriæ populi illius grossitiem, regio illa semper dicta est barbarica, extensa nimis, qvia Mæotidis paludibus incipiens, inter Danubium & Oceanum septentrionalem, usqve ad Germaniam porrigitur, & est prima pars Europe. In ea regnauit Tanus primum de stirpe Iaphet. De his Ungari & Daci processerunt, vicini eorum. Et hæc qvidem aperte in libris antiquitatum leguntur. Nunc vero verisimiliter de aliis provinciis contiguis non irrationabiliter syllogizandum pariformiter aestimo, qvod paulatim ex eisdem & ipsorum hæredibus inhabitari primo cœperunt. Teste enim Beato Hieronymo, ubi supra, cæteri filii Iaphet, alias terras occupavere, nec qvisqva ad hanc inferiorem plagam septentrionali pervenit. Igitur Poloni, Australes, Bohemi. Pruteni, Turingi, Passones, Svevi, Francioni, Saxones, & Westphalones, cæterique Germaniae & Almaniae populi, ab eisdem filiis Iaphet per lineam scilicet Magog, & successorum ipsius descendisse puto, qvorum in historiis nihil verisimilius reperi potui. Si tamen aliqui particulares conscriptiones seorsum de aliqua gente specialiter habentur, sicut de Frisonibus, aut aliis forte qvibusdam similibus, qvæ ad manus meas non pervenerunt, illarum fidei in nullo detrahere intendo, solummodo hic perqvirens, qvam verisimilia esse probaverim. Nec me latet pluribus provinciis alienos hospites ex more supervenientes, ac principatum obtinuisse, incolasqve subegisse, & suum titulum eisdem imposuisse, de quibus nunc sermo non est. Sufficit in hac parte prima, originem nostræ Westphaliae tetigisse,

CAPVT III.

De moribus Westphalonum antequam ad fidem converterentur.

REM novam ut supra protestatus sum ago, & id cireo correctorem in his supplicem exoro, ut qvæ minus ad normam cedunt, ipse ad meliorem & certiore formam aptare dignetur. De vita ergo parentum nostrorum, ex qvibus originem traximus, qvod ad pristinam ætatem, scut & de cæteris gentibus fleibile est aliquid narrare. Qvoniam ut ex multis signis & certis indicis perpendimus, omnes pene in miserabile illud sacrilegium siue idolatriæ crimen corruerunt. Dicente scriptura, de Behemoth, id est, hoste antiquo. Absorbebit fluvium & non mirabitur, & habebit fiduciam qva Jordanis influat in os ejus. Qvod exponens beatus Gregorius dicit: Antiquus hostis pro magno non habet, qvod infideles rapiat, qvitotum humanum genus pene per tot temporum spacia in ventrem suæ malitiae traxit, sed insuper fiduciam habet, qvod baptismo regeneratos ab sorbere possit. Ex his & aliis satis pater, qvod per multa millia annorum progenidores nostri hic infideliter vixerunt, & tandem pro suis peccatis ad inferna descenderunt, & illuc æternæ supplicia infeliciter luunt. Dicit enim apostolus, qvod impossibile est, sine fide placere Deo. Piatum creditur, qvod clementissimus aliquos electos inter eos habuit, secundum illud psalmi. Numquid in vanum constituisti omnes filios hominum? Hæc ex sententia beati Augustini probari aliquatenus possunt in 18. de Civitate dei, ubi loquitur de sancto Job. qui nec circumcisus fuit, nec legem aliquam accepit, & tamen cum suis prolibus & amicis Deo fideliter servivit. Item, 16. libro dicit, qvod post benedictionem filiorum Noe usqve ad Abraam nulla fit mentio justorum aliquorum, nec eos tamen defuisse crediderim. Qvoniam si omnes commemorarentur nimis longum fieret, item circa annos domini septingentos nonaginta, in Constantinopoli, lamina aurea inventa est, super corpus cuiusdam defuncti in qvadam sepulchro, in qua sic scriptum erat: Christus nascetur de virgine Maria, & ego credo in eum. O soliterum videbis me, sub Constantino & Irene.

Circa annum domini ut puto. M. CC. in Vienna repertum fuit caput cujusdam defuncti, linea adhuc integra cum labiis, & loquebatur recte. Episcopo autem interrogante qualis fuisset in vita, respondit: Ego eram paganus & judex in hoc loco, nec unquam lingua mea protulit ini-

H h h a

qvam

quam sententiam, quare etiam mori non possum, donec aqua Baptismi renatus, ad cælum ero. Iem, quare propter hoc hanc gratiam apud Deum merui. Baptizato igitur capite, statim linguam favillam corruit, & spiritus ad Dominum evolavit. Ex his & similibus colligere possumus, quod divina misericordia verisimiliter egerit erga cæteras gentes, in quibus magna virtutum exempla reperimus. Et nunc ad nostram Westphalię redeundo, hoc satis securè loqui possumus, quod prout in plurimum ipsa suis incolis plus austera quam deliciosa semper fuit. Et usque in praesens paucis respectice exceptis, quicunque in ea debet viatum querere, & se & suos legaliter administrare, oportet quod die & nocte labori, sollicitudini, anxietati, ac cæteris, quæ carni molesta sunt, insudet.

Insuper per intervalla temporum crebro à diversis graviter afflita, legitur, & iterum iterum que in servitatem redacta, pluribusque armis & violentiis oppressa. Hæc (si recte in formatum sumus) signa divinæ clementiae sunt, & ipsam amplius provocare solent, dicente scriptura: *Nisi punxit Deus bis in id ipsum.* Speramus ergo, quod etiam tempore Paganismi misericors Deus (qui non oblitiscitur misereri, neque continere potest in ira sua misericordiam suam) aliquæ vafera ibi habuet, quibus & hic bonas virtutes, & in futuro mercedes sempiternas providerit. Dei quæ tempore fidei promulgatae in vicinis provinciis multo amplius salvandorum numerus ibi exterrivit, licet potentes fidem perseguerentur, sicut ubique consuetum fuit, tamen servens charitas amicorum Dei quotiescumque poterat, sive occulte sive apperte prædicando de incendio rapuit. De sancto Agusto legitur, quod erat unus de septuaginta duobus discipulis domini, quem beatus Petrus apostolis misit in Saxoniam, & prædicare coepit, sed fructum terra illa nondum protulit, quia potius martyrio coronatus est. Et ejus reliquie usque hodie ostenduntur in Bardwick prope Lumborch, quæ olim fuit civitas gloria, sed anno domini, M, C, XCIX, fuit destruxta per Henricum ducem Saxoniae, ecclesiis relicitis absq; laesione.

CAPVT IV.

De simplicitate & pacifica conversatione primorum incolarum hujus terræ.

Omnia eadem est sententia, fructum tenere naturam radicis, & conservata difficulter relinqui. Quia & consuetudo altera natura dicitur, possumus nimis ex hoc advertere Westphalia ex simplici & pacifica gente traxisse originem, & quod frequentius ab aliis injuriam patetur, quam inferret. Si cui dubium est, an ita sit, requirat annales priscorum, & puto, quod cum de bello & servicia horribili, quæ mundum concutere solent, mentio fit, primos habitatores Westphaliae non illic reperiet. An autem ipsi sint injuriam passi ab aliis, & an afflictionem patienter sustinuerint, statim declarabo. Jam enim loquor more scriptorum veterum, qui Romanas res inhumum produxere, Saturnia tempora quando honesta simplicitas pacifice & sine dolo Italia incolit, crebro commemorantes, cui nostra Westphalia quod ad multa conformis fuit. Nam scutum primo Saturnus decreto, & post Aeneas cum aliis Trojanis advenerunt, populum simplicem, ut informantes aut opprimentes, ita hue primo Macedones, & longe post Franci applicuerunt. In quodam enim libro sic inter cætera scriptum reperi. Postquam Alexander Philippi Macedo, qui regnauit in Græcia, percussit Dario rege Persarum, contra Porum regem Indorum properauit ad bellum, inter Riphæos montes circa mare Caspium, exercitus sui partem ex Macedonibus collectam, ad illius patriæ custodiam collocavit. Cumque subactis Indis, & reversus Babyloniam veneno interiisset, Macedones, circa montem saxum Marpesica, quodam duce Amozonici exercitus nominatim commorantes, mortem ejus cognoscentes, animis conturbati, in Macedoniam per terram se posse reverti, propter odium gentium, quas bellis attriverant, plurimum desperabant. Quapropter præparatis navibus in mare Caspium se mittentes, per vastitatem Septentrionalis Oceani sedes ibi querendo diu navigabant. Ex quibus tamen post multa maris pericula naves ad ostia Albiae fluvii in loco qui Hadelon, Latino quidem sermone nunc terra Hadelariae Bremensis diœcesis dicitur, applicerunt ad littus. Interroganti autem ab incolis, quo venissent. Respondent, De Saxo. Unde & de hinc Saxones vocati dicuntur. Quidam ergo ex eis, terras ibidem circa littus maris Oceani viribus occupabant, qui postea Holtzäffen ex sylvis & paludibus, in quibus degebant, nunc vero corrupta nomine Holsten sunt appellati. Alii navibus fluvium ascendent Thuringos, tunc juxta montem Harth versus Septentrionem dominium tenentes, invaserunt, quod nomen Saxonum simpliciter obtinuerunt. Cumque hi Saxones & Thuringi mutuis se bellis, pro sedibus obtinendis, frequenter impeterent, eandem Thuringi cedentes ultra montes Harth se recipientes Saxonibus loca dimittunt. quod omnes isti Saxones militaribus armis inservire conserverant, vix alter alterum sibi præesse sinebat. Unde quidam ex eis, latius querendo sibi sedes, flumen Weseram transferunt, & quasi usque ad Rhenum fluvium omnes incolas regionis illius per sylvas, & rura dispersos, in servitatem redegerunt. Exinde armorum militaris

militarum nimis pluralitas & servilis conditionis necessitas inter Weseram & Rhenum usque ad tempora nostra perdurant. Hi autem postea fortissime primam illam defensantes, tanta fortitudine hostibus resistebant, ut Romanis exceptis a nullo unquam usque ad Karolum magnum poterant superari.

Hæc prima sunt quæ de nostra provincia reperi conscripta, & gesta fuerunt ante benedictam Christi nativitatem, quasi annis trecentis. Jam si placet, prius hic animus attendat, quanta mansuetudinis gens ista fuit, sic violenter a paucis subiecta, sic deinceps humiliter serviens, sic parienter adventis obtemperans. Qvis unquam audivit, quod talia suis oppressoribus reddiderunt, quælibet sibi fecerant. Hujus tantæ benevolentiae reliquias plures vidi, viros ac foeminas venerabiles, magnæ probitatis, & simplicitatis, exempla præclara, totius tam pacis quam sacræ fidei amatores. Equibus unum breviter exemplum ponam, quod mihi in pueritia accidit. In villa qua natus fui per intervalla temporum, quinque judicia secularia per altos comites observabantur. Evenit igitur, ut cum genitore meo illuc pergerem, & ceremonias, phaleramque sermonum, non dico honestam nequitiam illam animadverterem, qui ex tunc cordi sic delectabiliter adhæsit, ut crebro maluisse prandium differre, quam illic non affuisse. Currenti igitur mihi aliquando in spiritu vehementi, obvius fuit venerandus quidam vir grandævus bene dilectus, & juxta modulum suum prudens ac dives, legalibusque filii, ac filiabus ex more honorabiliter stipatus. Iocunde ergo mensulans, quæsivit quo tam celeriter festinarem. At ego ad judicium pergo. Et ille grandi se erue signans ait, Benedicat mihi nunc dilectus deus. Ego in hanc ætatem usque perveni, qui unquam ante judicium fui. Sic mirum fuit apud illos honestos patres familias iuxta apostolicam iententiam, & quasi delictum, quod Christiani inter se judicia haberent. Qualiter autem nostra pars de suis patribus probos viros fecerit præsens tempus probat. De aliis autem exemplis ad idem pertinentibus, quomodo unus pastor illic totam parochiam in spiritualibus & unus Scultetus in temporalibus administret, & quam humiliter subditi obtemperent, superfluum est dicere, quanquam & hoc verum sit, quod haec honesta simplicitas facilis in villagiis & ruralibus pagis, & diutius poterit continuari, quam in quibusdam civitatibus, maxime ubi merces & nundinae frequentantur: videlicet nihilominus in talibus nonnullos inclitos domicellos ac probissimos cives huiniliter, & benigno conversari, ut quod esset superbia, aut dolus ceteraque vicia, proximorum paci adversaria, non intelligerent.

CAP VT V.

De honesta & rationabili causa peregrinationis Westphalorum per orbem.

Paulo apostolo sancto attestante didicimus, sic Dominum Deum instituisse humanum genus, ut unius inopiam suppleret copia alterius. Quia ergo sunt nonnullæ provinciæ fertiles excellenter, & tamen ad propagandam sobolem minus aptæ naturaliter, & contra alias steriles, & infertiles. Ideo rationabiliter sic dispositum ab antiquis diebus inter principes communitates auditimus, & usque in præsens videmus, ut mercimonia & alia necessaria de communi consensu de loco ad locum transferantur. Dicuntur autem illæ regiones ceteris preciosiores quæ preciosiora denodia emittunt, juxta quod Græcia præfertur Slavoniæ, & Asia Africæ, & ita de aliis, secundum quem etiam modum Westphalia antiquitus invenitur habere, & excedens, & excessum. Excedit namque alias provincias habita consideratione quantitatis suæ in hominibus, fortibusque viris agnendis, & a multis aliis exceditur in quibusdam, quæ ad usum hominis sunt necessaria. Sed quemadmodum simpliciter loquendo nihil est sub sole preciosius homine, propter quem omnia facta sunt, & fiunt, cui etiam sancti angeli serviunt, & cui cum eisdem regnum cœlorum repromisum est: ergo sequitur quod provincia hæc, quoad hanc partem preciosior & nobilior est aliis, & fuit & erit, quam diu Dominus Deus ita disponuerit cum ea. Si forte hoc alicui videtur minus solidum, potest attendere communem cursum humani generis in quo raro aliquid magni penditur, nisi occasitas ingruerit. Tollat ergo officium servitum, magnusque & periculosus ille labor, quem Westphali per totum orbem terrarum faciunt, videbis profecto non bene gubernari omnia. Dii boni quam multa monasteria, in quibus severe vivitur diminuentur, quam multæ civitates in officiis arduis & consiliis defectum sustinebunt, & curis gravabuntur insolitis quot prælati & principes, ceterique viri magnifici, equos & lectos minus debite præparatos aseendent, quot naves in portu remanebunt, quot pauperes & desolati eleemosynis & consolationibus privabuntur? quot ecclesiæ, altaria, collegia, hospitalia, monasteria, prælaturæ, conserva subsidia in pluribus stationibus non recipient? Qvis dicat quis: Hæc si Westphali non facerent, alii pro eis facerent. Respondeo. Quare modo non faciunt hæc ad omnem sufficientiam, ut proselitorum ope non indigant, ipsosque excendant. Nosco ac novi multos valde egenos, qui eleemosynam indifferenter ab omnibus libenter acciperent, de quibus pronuncio, quod innumeris (ut sit dicam) vicibus

Hhh h 3

de exu.

de exilibus Westphalis largiter sustentatis sunt, & sustentantur adhuc. Faciant hocalii, & ipsi sua retinebunt. Qvanti & qvam magni patres familias tamulos fideles qvæsierunt, & Westphalos invenientes, delectati sunt operatione & officio ipsorum, de morte eorum supra modum contristati. Non hæc ita scribimus, ut cæteras velim nationes excludere, sed ut qvibusdam minus discrete loqventibus informatio detur hoc modo, qvod hæc provincia humanæ necessitati & communitati respective plus cæteris subserviat. Insuper qvod hæc non fortuito agantur, sed Dei dispositione, sine cujus nutu ne folium quidem arboris in terram cadit, qvi singulis regionibus & hominibus, hæc aut illa dona largitur, prout suæ placet voluntati. Si enim bonitati omnipotentis Dei, de servitio bestiarum grati esse tenemur, & ecclesia in sacrosanctis etiam missæ officiis pro ipsarum conservatione precatur, qvanto magis id ipsum fieri oportet, ut homo homini auxilium, solatium, ac consilium impendat. Ab ipso enim sunt omnia, sive hæc, sive illa, ab angelo usq; ad minimum vermiculum. Gratias igitur agamus divinæ dispensationi, & venerabilium Westphalorum cæterorumque famulorum qvorumque nationum necessariae servituti. Ecce ego qvì à laboribus servilibus alienus, molles manus porto, cunctis garrulis exemplum præbeo, silentio, qve exhortor me pariter cum illis, ut prælatis nostris & obedientiariis (ut sic dicam) ipsorum gratissimus, ac pro illis devotas preces fundamus, sicut tenemur, alioq; solicitude & labor ipsorum in illa die teneritudini nostræ pondus grave imponet. Sacro namq; eliq; teſtante, scimus, qvod Deus & fidelis laborator, sunt veri omnium domini qvæ in usum veniunt humanum. Et apostolus dicit: Qvi non laborat, non manducet. Cæteri omnes aut sunt dispensatores aut mendici. Nemo igitur sibi blandiatur, qvod in ocio sit securus. Alioq; in audiet qvid libro sapientiæ contra tales divinus sermo minatur dicens: Tunc stabunt justi in magna constantia aduersus eos qvi se deprimebant, & abstulerunt labores eorum. Sed ut ad nostrum propositum redeamus, ostendere aliqua restat, qualiter sepe dictum servitum Westphali à diebus antiquis soliti sunt cæteris provinciis impendere. Et qvod suprema necesitas in bellicis negotiis copiosius eluceſcit, inde qvales antiqui Saxones reperti sint in hujusmodi, jam pauculis explanabo.

CAPVT VI.

De victoria Saxonum habita contra Anglicos.

Tempore Theodosii secundi circa annum domini CCCCXX. Rex Britannæ, id est, Angliae gravissimum dissidium cum suis incolis habuit, id qvod illic novum non erat. Irruitibus ergo fortitet Britonibus rex nullum pene habuit suffragium, nisi aliunde qvæ divinitus missum. Et ecce subito & insperatè, phalerata cohors juvenum Anglicis litoribus applicuit, faciemq; regis summopere concupivit aspicere, ac ejus potentia assistere. Admissi ergo solo tenuis adorare regem, prout moris est, cæperunt, ac deinceps, causam sui adventus propalare, si tamen hoc regiae majestati gratum foret. Annuente rege, unus eorum præloquens ait: Pacifici venimus ad terram tuam Serenissime Princeps, tecum habitare cupimus, & honestam vitam transigere. Nostra enim regio longe ultra qvam nutritre potest homines generat, & iccirco legaliter emissos huc non sors adduxit, ut si Celsitudini tua non adversum videatur, nostro contubernio ad placitum perfruaris. Sin autem, dic servis tuis, ut hinc faceſſant. At rex: De qua gente eſtis, & cujus religionis? Respondit, qvi super Saxonia nos transmisit, ubi hic mos servatur, ut cum abundantia hominum excreverit, totius provinciæ juvenes convenient, sortes à principibus accepturi, moxq; patria egrediantur, aliunde sibi victum qvæſituri. Hac ergo honesta necessitate comprehensi sedes qværimus, ubi mortale hoc spatium solito more peragamus. Si vero de religione qværitur, noveris nos juxta morem paternum solem adorare. Heu, ait Rex errorem detegor, sed de adventu vestro, & corporum forma plurimum exulto. Disceptatio mihi gravis est cum populo meo, & opus habeo adjutorio alieno. Si igitur placet adversarios rebellare, gratissimi mihi eritis in sempiternum. At illi cum audissent opinionem belli, promptiores esse cœ perant, & pro suo modulo spönderunt qvicq; sors subministraret. Ventum est ad conflictum, & victoria competens Saxonibus provenit inopinata. Commoti Britones agmen grande fecerunt, Saxonibus comminantes, sese (ni à terra recederent) statim virtutem eorum experiri velle. Videntes Saxones se numero paucos, adversariosq; copiosos, plus sapientia eos aggredi, qvam fortitudine tentarunt. Habuerunt ergo hanc pulcherrimam orationem ad ipsos. O incerti Britones cunctis seculis splendidi. Vestra nos fama hue attraxit. Nos vestram Insulam ingredi nihil nisi qvod honestum est, molimur. Unicum malum vos molestat, nostræ licet provinciæ fierili inauditum, inobedientia videlicet ad principem. Hanc nihil nisi petulantia parturivit, hanc nihil nisi pauperies extrema absolvet. Deponite qvæsumus ineptum hujus propositum, & periculum conatum vestrum, & nos in servos fuscipite. Si autem qvid vestræ prudentiæ absonum suspicamur, hoc qvalecunq; nostræ simplicitatis consilium abieceritis, & nostram legalem conditionem aliqua violenta maculaveritis ejectione, ex tunc sciatis, qvod nos vestros jam famulos, de-

hinc

Hinc autem graves & hostes, aut perpetuos dominos sentieris. Sed ut mos est nonnullis, nequam præbuerunt aurem æquissimis consiliis. Rege igitur contristato fideles advenas plebs iudicata fugavit, sed non ad sapientiam sibi. Nam redeuntibus Saxonibus ad suos, singulaque narrantibus quæ sibi acciderant, per cunctos gravis indignatio succrevit. Magna proinde fiducia Saxonibus accessit, ut in ipsis, in quibus omni hora veluti suos liberatores & sponsores anxia mente manebat. Denique consilium proceribus fuit, ut virginem pulcherrimam Engelam nomine filiam ducis Engriae (ut quibusdam placet, regi desponsandam, à quo tota Insula ex tunc nomen accepit) comptius ornarent, totisque viribus ad regis injuriam ac suam turpem ejectionem illic vindicandum reverterentur. Oblata ergo virgine cum robre ducum & militum caterva, nihil jam sub celo Rex tam gratum suscepit. Renata est sponsa fæciter fonte baptismatis, & in conjugium Regis iuxta magnificentiam principalem assumpta. Jam Saxonibus res in animo erat, & configere fortius donec totam insulam dominio proprio subjugarent. Factum est ita, & duravit dissidium istud ultra ducentos annos. Tempore enim Sergii Papæ expulsi sunt Britones de sedibus suis & caput Britannia vocati Insula Saxonum ad tempus. Prævaluuit tamen titulus præfatus, ita ut usque in præsens vocetur Anglia. Et hoc jam tertio nomen mutavit. Nam primo scilicet ante tempus David, dicebatur Albion. Deinde à Bruto Trojano qui eam bellando cepit, vocata est Britannia, nunc vero Anglia dicitur. Hoc identikitatur Beatus Gregorius qui sedit circa annos Domini sexcentos, quoniam occasione bellorum predictorum magna pars Insulae ejusdem in idolatriam corruit. Ait enim de incolis ejus: Bene Anglii vocati sunt, quia Angelicos vultus habent. Misit quodque Augustinum cum aliis sanctis ad eos convertendos, & surrexit stirps regum sanctissima in Anglia, quæ adeo crevit in longum, ut nusquam legerim plures sanctos reges. Sic dupli gratia Saxonnes dotati sunt, ut temporaliter & spiritualiter glorificarentur. Oswaldus Rex operibus misericordiae deditus fuit, de his Judocus, Elfredus, Elchescamus, Edgarus, Edvardus, & alii plures cum prolibus suis. Puto antiquam Saxoniam nostram. 1. Westphaliæ, occasione Britannicorum præliorum, nobilibus Macedonibus vacuatam esse. Et est ista quarta peregrinatio ipsorum famosa. Nam primo de Macedonia in Asiam. Secundo de Asia in Europam Germanicam, id est, Holsten. Terzo dehinc in Westphaliæ. Quarto in Britanniam. Tenuerunt autem sceptrum Angliæ usque ad annos Domini, mille & septuaginta, vel circiter, tunc Guilhelmus comes Normannorum interfecit Araldo regnavit pro eo. Quod autem nobiles Saxonès transfretarunt in Angliam, ex hoc patet, quod duo filii ducis cum sorore sua præfata, aut nepte perrexerunt cum turba illa, & continuo pugnatum fuit per annos plures, contra reges fortissimos, & circa totum robur provinciale concurrit, donec tandem de omnibus triumpharent. Hoc videtur sentire Beda, qui dicit quod ante tempus Karoli magni Saxonès non habebant regem, ut infra dicetur. Etiam nusquam legi, quod post unquam Saxonès isti, sive Westphaliæ tali modo per turmas exiissent de puma, & alibi guerras (ut sic loqvar) concitarent. Hæc igitur aut similia reperi de isto processu sumnum ad Angliam, de quibus si cui placet, poterit plenius videre in historiis Anglicanis. Hæc autem minus exacte à me scripta sunt, ob defectum librorum provinciarum nostrarum: si quisvero aliter reperierit, dignetur, quæ dicta sunt ad certitudinem historiam revocare. Omnia enim hæc sunt vera, & de rudibus temporibus tractata, in quibus vix pauca audivimus relatu digna. Sed nunc de certioribus loquamur, & ad salutem magis accommoda.

CAPVT VII.

De quibusdam virtutibus Saxonum istorum.

Refert sanctus Bonifacius episcopus & martyr, qui Germanorum gentem ad fidem convertit, quibusdam bonis virtutibus Saxonum antiquorum, & quendam Regem Angliæ in quadam epistola hortatur, ut exemplo ipsorum se corrigat, sic scribens: Domino charissimo Echelbardo Bonifacius archiepiscopus legatus Germanicus Romanæ ecclesiæ perpetuam Christi charitatis salutem. Audivimus te eleemosynis intentum, furta, & rapinas prohibere, & pacem diligere, defensionemque pauperum & viduarum esse, & inde Deo gratia agimus. Quod vero legitimum matrimonium spensis, si pro castitate faceres, esset laudabile, sed quia luxuria, & adulterio, & cum sanctimonialibus voluptates exerces, vituperabile est & damnabile. Quapropter fili charitissime penitentiam age, & meditare quam turpe sit, ut tu qui dono Dei dominaris, ad injuriam ejus, sis libidinis servus. Audivimus præterea optimates pene omnes forido tuo exemplo legitimas uxores deserere, & adulteras sanctimonialis que constuprare. Quod cum sit ab honestate peregrinum, doceat vos alienæ gentis institutio. Nam in antiqua Saxoniam nulla est Christi cognitio, si virgo in paterna domo, vel maritata, sub conjugio fuerit adultera, manu propria strangulatam cremant, & super fossam sepultæ corruptorem suspendunt aut singulo tenus, vestibus abcisæ, flagellant eam castæ matronæ, & cultellis pungunt, & de villa a villam sic missæ occurront novæ flagellatrices, donec interminant. Si ergo gentes Deum ignorantes

rantes zelum castimoniae habent, qvid tibi convenit fili charissime, qui Christianus es rex? Parce ergo animæ tuæ, parce multitudini populi tuo pereuntis exemplo, de cuius animabus rationem redditurus es. Recogita qvælo, qvam terribilem vindictam in antecessores tuos exercuerit Deus, culpæ (qvam in te arguinus) conscos. Nam Celredum prædecessorem tuum stupratorum sanctimonialium, & ecclesiasticorum privilegiorum fractorem, splendide cum suis comitibus epulanten, spiritus arripuit malignus, & sine confessione, ac viatico salutari, animam extorsit. Nai redum qvoqve regem Doiorum & Berniciorum, earundem culparum reum, ita effrenem egit malignus idem spiritus, ut regnum & juvenilem ætatem contemptibili morte amitteret. Obtestamur & obsecramus te, ut recorderis qvam fugitiva sit præfens vita, & delectatio spurcitatæ carnis, per qvam æterni cruciatus emuntur, & qvam ignominiosum sit, ut brevis vitæ hujus mala exempla in perpetuum posteris relinqvas. Hæc Bonifacius. Ex hoc solo unico ac veridico testimonio facile potest qvivis animadvertere, qvanta distictione cætera vitia apud eos plectebantur, qviam hoc unum qvod ex sui lubricitate veniam aliqualem habet, tanta solebat vindicari severitate. Hujus aliqua vestigia in qvibusdam castis matronis vidi, qvæ nedum filias, sed etiam famulas summa diligentia custodiebant, nec eas dormire sinebant in tali loco, ubi faciliter ad eas accessus patet. Scio qvoscum majores, filiabus suis ita severum exhibuisse vultum quotidie, ut terrorem eis incuterent, siccæ ipsarum castam famam zelasse, ut in flumen potius eas jactassent, qvam constuprari permisissent. Sed & virgines seriosissimæ extiterunt, & ad omnem affatum iubilenum ita excandescentes, ut Lucretiæ filias putares. Si verò inferioris status, sive puella sive famula, instuprum aut adulterium corruisset, secreto eam virgis, & qvidem acerrimè flagellabant, conviciis, placentisqve ex putredinibus ovorum factis eos reficentes, sic autem eas in amaritudinem adduxerant, ut aut mori solatium foret, aut post primum partum nullas deinceps proles gignerent. Qvæ autem contra amicorum consilium maritos ducerent, sic exortæ siebant ut ad nuptias ipsarum non solum non venirent, sed nec eas qvidem inter cognatas recognoscerent. Frequentes apud eos objurgatio talis habebatur, quando scilicet filium aut filiam viderunt infamibus vicis inclinatos esse, his scilicet aut similibus verbis comminando: Vis ut te levem in stabulo leperiamus? Crebro etiam dixerunt, hoc fese ex antiquorum traditione accepisse, qui contumaces proles potius interimerent, qvam scandalum amicis proveniret intolerabile.

Has comminationes freqventer audivi, sed tamen ut latius progrediamur, nusquam praeditatum percepi, qvam asperè judicia sanguinis olim ibi exercebantur. Ex hoc perpendi potest, qvod aliquando, ut puta tempore anni mei contigit. Commotus qvidam contra vicinum suum, ut eum trucidaret, togam filio suo forte decem annorum tenendam tradidit. Statim pater cum filio capit, & ad decollandum ambo ducuntur. Sed cum filius adhuc minorenus esset, invinculis servari jussus est, donec decimum quartum annum complevisset, ac truncari legitime potuisset.

In domo parentum meorum famulus qvidam alterius provinciæ diu fideliter serviens, tandem in crimen furti prolapsus est. Conquerentibus autem singulis de his qvæ amiserant, nos pueros, qui de scholis longinquis adventavimus, maximus terror invasit. Tandem ego qviseñor tui, publicè dixi: Utinam continuet hic furga sua, ne post discessum nostrum habeamur suspecti. Sed post deprehensus est, & ut dignum erat, domo expulsus. Noluit pater noller familiam suam scandalizare: verum cum socero meo abstulisset eqvum, suspensus fuit. Sic crebro vidi facilimè deprehensos fuisse alienos, & judicialiter punitos. Erant enim de more, qui ob fidelitatem incolarum res minus diligenter custodirentur. Nam cum domus ipsa & camerae & cistæ & reliqua pene omnia crebro aperta manerent, raro aliquid perdidimus. Plures etiam civitates villæ, neque patibula, nec rotas, nec hujusmodi qvicquam tormentorum habebant, & rarissimè ibidem langvinis judicia exercebantur. Nota erat mihi qvædam matrona senio confecta, qvz dixit se audivisse à proavis suis, qvod tantæ simplicitatis communis populus tunc fuerat, qvod neque litteris neque sigillis uterentur, nec talia haberent, sed simplici verbo siebant omnia absque pavore. Hæc & similia reor conformia ad supra dictum sancti martyris testimonium, qvod scilicet prior ætas paganorum in moralibus virtutibus, qvoad aliqua, longe præstantior fuit qvibusdam Christianis, & qvod eadem legalitas etiam de post permanxit in eisdem paganis ad fidem translatis. De his beatus Augustin. in libro de civitate Dei plurima pertractat, & Dominus per prophetam crebro conqueritur dicens: Qvæ gens egit talia, sicut populus meus. Et iterum: Erubetce Sydon, id est anima fidelis, ait mare, id est, gentilis populus Deum igno- rans. Ethæc de prima parte hujus operis dicta sint satis. Seqvitur nunc de secunda.

FINIS LIBRI PRIMI.

R. P.

R. P. WERNERI ROLEVINCK LARENsis
ORDINIS CARTHUSIANI DE SITV ET MORIBVS
WESTPHALORVM.

LIBER SECUNDVS

IN QVO AGITVR,

DE CONVERSIONE, DE CAROLO MAGNO, ET DE PRIMO
INGRESSV ILLIVS, DE REBELLIONE, DE PERTINACIA WIDE-
KINDI, DE VLTIMIS BELLIS, DE PACE FACTA, DE CONVER-
SIONE WIDEKINDI, DE INSTRUCTIONE EPISCOPA-
TVVM, DE CONSVMMATIONE, DE CANO-
NIZATIONE KAROLI, DE INSTITVTIONE
LL. WESTPHALORVM.

CAPVT I.

*De Conversione Saxonum antiquorum ad fidem, & primis
praedicatoribus ibidem.*



MNIPO TENS & misericors Deus postquam Anglicos ad fidem revocavit, & quosdam de antiquis Saxonibus, qui insulam illam obtinuerant, ad magnam sanctitatem sublimasset, inter cetera dona eis inspiravit, ut patriam suam (unde exierant) gratia spiritualis & dificationis visitare non dubitarent. Venerunt ergo inter ceteros duo sancti viri sacerdotali gratia insigniti, uno nomine nuncupati, uno proposito & zelo agitati, si forte praedicando aliquid Christo acquirere possent. Uterque eorum appellabatur Euwaldus, unus niger, alter albus, pro capillorum diversitate. Intrantes autem provinciam, venerunt in quendam pagum, seu villagium quoddam, nunc Laer dictum, ubi honorabiliter suscepit, verbum vitae seminarunt, quod velut in terram cadens, bonum usque in praesens fructum fecit salutis. Ibi etiam miraculis floridi, fontem de rupe traxerunt, cuius haec, ut ajunt, causa fuit. Nam cum fitirent, cuidam pauperculae dixerunt, Da nobis bibete: Quae respondens ait. Non habeo dominum, & aquæ penuria fatigamur. Qui dixerunt: Deinceps non habebitis aquarum penuriam. Et pungentes rupem baculis suis, in diversis locis pulcherrimi fontes eruperunt, quæ iam derivati, nullo aestatis tempore cessant effluere. Campum etiam speciosum in usum pauperum consecrarunt, qui usque hodie vocatur sacrum pratum, in cuius medio praedictus fluvius currens, & oculis delectabile spectaculum, & animalibus syave praebet poculum. Fertur quod divinitus crebro plagati sunt, qui arare pratum hoc contra testamentum sanctorum, & præjudicium pauperculæ communitatis attendarunt.

Quidam cum illic aratrum ducere coepisset, mox fulgure correptus fugit, equis exustis. Alter in idem gestiens, postquam tres fossarum ordines scidisset, sanguine vidit repletos. Alius enim cum arare inciperet, mox ferrum, quo gleba scinditur, fractum sensit, sicque cum murmure retro discessit. Servatur proinde usque in praesens veneratio sanctorum martyrum ibidem, & vulgares eos nominant Dominos de prato. Avia mea referre solebat, se à suis progenitoribus audisse, quod quicunque rapinam tolleret à prato isto, ipsum eodem oportere anno mala morte vitam finire. Id ipsum aliquando experta etiam ipsa testabatur.

Quodam autem tempore supremus consiliarius principis potens & dives, & militaris, gene re in multis commendabilis cum in hoc diffortunum incidisset, ut sacrum pratum de honestaret, per rapinam eodem anno sub specie justitiae homicidium perpetrans, decapitatus fuit. Hoc factum ita mirabile putabatur, ut cum praedicta mulier & alii simplices hoc audirent, pleno ore dicerent, quod Domini de sacro prato se aperte vindicassent. Non enim suspicabantur hoc contingere potuisse tanto viro. Multa etiam Princeps cum amicis ejus fecit pro liberatione ipsius, & aliquando clam adjutus carcere erupit, sed nihilominus iterum captus fuit, & morte plexus.

Ante aliquot annos cum alterius terræ Princeps quidam tempore publici belli rapinam illic ficeret, contradicentibus sibi nobilibus, qui mores illius prati noverant, statim post tres septimas captus fuit, & illi miro quodam Dei miraculo preservati erant.

Alter quidam domicellus sciens hujusmodi, id ipsum fecit, qui eodem anno in furiam versus, manus comedendo expiravit. Duo alii socii similiter agentes, unus cum quodam cominus pugnans, vulneratus occubuit: alter per fenestram ad concubinam ascendens, proprio pugione mirabiliter

mirabiliter irretitus gulam fregit suspensus ad parietem inter cælum & terram. Hæc & similia gloriosam memoriam apostolorum nostrorum, scilicet sanctorum Ewaldorum commendant, ac quanti meriti apud Deum sint devotis incolis, arctius ipsorum mentibus repræsentarent.

Sed nunc de ipsorum ulteriori legatione, simulque sancta prædicatione dicendum restat, Progressi igitur sancti per vicina loca, tandem ultra Weseram venerunt, ubi hospitium cuiusdam villici intrantes, rogarunt ut transmittarentur ad Satrapam ob negotium quoddam sibi præferendum. Et quemadmodum venerabilis Beda ait, antiqui Saxones regem non habebant, sed satrapas plurimos suæ genti propositos. Qui ingruente belli articulo, miserunt æqualiter fortes, & quemcunque fors ostendisset, hunc tempore belli omnes sequerentur, & huic obtemperabant. Peracto autem bello rursum æquales potestate omnes erant satrapæ, suscepit ergo eos villicus & promisit remittere eos velle ad satrapam. Sed vicini eos Christianos esse cognoscentes subito repuerunt, & atrociter occidentes in fluvium projecerunt. Satrapa autem hæc audiens, misit ad interficiendum vicinos illos, & vicum succedit. Actum est martyrium hoc circa annum Domini septingentesimum die tertio mensis octobris, in diœcesi Bremensi, comitatuqve Hoyensi. Alii dicunt quod magis est verisimile, quod in quodam loco, qui dicitur Appellerbeke prope Tremoniam, hujusmodi martyrium sit celebratum. Et ibi memoria eorum solemnis est, & miracula ibidem facta referuntur. Potest dici pro concordia horum, quod in Hoyensi comitatu fuerunt lethaliter vulnerati, sed tamen reconvaluerunt. Et tandem in Appellerbeke, dum à prædicatione non cessarent, quantocius interfecti fuerunt. In hunc modum multæ legendæ sanctorum concordatae sunt. Et sic potest salvari solemnis memoria, quæ in præfatis locis æque constanter prædicatur. Corpora vero sanctorum Ewaldorum translata miraculose fuerunt ad Coloniam, & in ecclesia sancti Cuniberti venerabiliter condita.

Hæc est prima legatio spiritus sancti solemnis ad Saxones convertendos. Verum de isto termino, quo ad hanc provinciam, nihil alibi reperi, nec aliquod vestigium in patria remansit, sicut communiter fieri solet. Puto igitur quod Beda juxta morem sacrae scripturæ hoc termino usus fuerit, semper quod dicuntur quinque satrapæ Philistinorum, juxta numerum quinque civitatum illius gentis, non curans de titulis majorum, qui Romano idiomate rectoribus hujus provinciæ & quorundam aliarum trans Alpinensium impositi creduntur. Dicit enim beatus Augustinus de civi. Dei quod Romani non solum suam potentiam & suas leges, sed etiam suum idiomam cunctis gentibus imponere decreverant, præsertim quo ad vocabula officiorum publicorum & civitatum principalium, quorum plurimæ perseverant usque in præsens. Et Latinam sive Romanam linguam per has occiduas partes dispersam videmus, & in divinis scripturis atque officiis, & negotiis primatum adhuc tenere.

Secunda legatio fuit non longe post facta per sanctum Lebuinum, qui etiam Anglicus natione, monitu Salvatoris ad sanctum Gregorium Trajetensem episcopum pervenit. Cum vero narrasset, quæ sibi dominus jussérat, dedit ei comitem Marcellinum discipulum sancti Willibrordi, Velaumque & cæteras partes, iste commisit ei convertendas. Ibat quoque aliquot vicibus, per Saxoniam, quærens quos posset Christo acquirere. Ceperunt ergo quidam credere, & antiquum ritum abjecere. Alii vero persequi & ecclesiæ ejus comburere, Christianosque abigere dicentes, Fantasma istud per provinciam discurrit fabulando, atque incantando multos infatuantur. Utinam apprehenderetur, Verum autem, ut ante dictum est, regem antiqui Saxones non habegerent, sed per pagos satrapas constitutos: morisque erat, ut semel in anno generale concilium agerent, in media Saxonia, juxta fluvium Weseram, ad locum qui dicitur Marcklo. Solebant ibi omnes in unum satrapæ convenire, ex pagis quoque singulis duodecim electi nobiles, totidemque liberi, & totidem laici. Renovabant ibi leges, præcipuas causas adjudicabant, & quid per annum essent acturi, sive in bello, sive in pace, cummuni decreto statuebant. Unde versus:

*Quos pagos tot penè duces, velut unius artus
Corporis, in diversa forent hinc inde revulsi,
Sed generalis habet populos divisio ternos,
Insignita quibus Saxonia floruit olim.
Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit.*

Disposita ergo concione, subito beatus Lebuinus in medio stetit dicens: Audite, audite Dei omnipotentis sum nuncius. mandatum ejus vobis fero. Si volueritis fidem acceptare, tanta vobis bona præstabit, quanta nunquam ante audistis. Et sicut hucusque super vos regem non habuistis, ita non erit rex, qui contra vos prævalere possit, & sibi subjicere. Quod si nolueritis, scitote quod præparatus est in vicina terra rex, qui bellis vos fatigabit, & in exilium mitteret; occidet etiam, & hereditates vestras quibus voluerit tradet, subjicietque vos sibi, ac posteris suis. At illi elevato clamore dixerunt: Capite eum, capite & lapidate. Dominus autem abscondit eum, ne videretur ab eis. Tunc indignati sapientiores iniquum factum condemnabant. Quidam au-

tem concionator Bucco dictus, descendens truncum arboris sic clamabat : Audite quæ dico & judecate. Norðmanni vel Sclavi, Frisones quoque, seu cuiuslibet gentis homines, si quando ad nos mittunt nuncios, cum pace eos suscipimus, & modeste audimus ; Dei autem nuncius nunc ad nos venit, & ecce quibus eum insectamur injuriis ? Credite ergo quia tam vera dixit, quam facile potuit nobis insectantibus eripi, & illa quæ minatus est in cunctanter evenient. Commoti itaque penitidine, statuerunt ut nemo illum laederet, si amplius appareret, sed cum pace dimittetur quocunque ire vellet. Quo facto inter se agebant quod coeperant. Sanctus vero Lebuinus pergebat quocunque eum spiritus Domini perduxit in ope Dei persistens, quousque Deo dilectam animam reddidit. Cujus reliquia & Marcellini quoque ipsius in Daventria urbe nobilissimum summa veneratione observantur. Haec in ejus legenda habentur. Ex isto satis, pro quo modo satrapæ inter se dissentire coeperunt, quidam fidei faventes, quidam detrahentes. Arbor quædam usque hodie perseverat juxta partes Hervordiæ civitatis, quæ se ut fertur, divinitus aperuit, & sanctum Lebuinum abscondit. Ejus folia sunt mirum in modum singularia, ut nemo possit cognoscere, cujus generis sit. Creditur quod etiam sancti viri, qui erant in vicinis provinciis cooperabantur huic negocio pietatis, ut scilicet pararent domino plebem perfectam, videlicet sanctus Bonifacius prefatus, qui post in Frisia cum multis aliis martyrum consummavit. Item sanctus Gregorius episcopus Traiectensis. Albericus, Wulfrannus, Willibrordus, Werenfredus, Ludgerus, ceterique sancti antistites, cum suis coadjutoribus circumcirca commorantes, & se mutuo ad apostolatum hunc cohortantes ac adjuvantes. Ex quibus apparet quam similis era politia hujus gentis ad regimen Romanorum, de quo in primo libro Machabæorum, capitulo 8 sic legitur, Audivit Judas nomen Romanorum quod essent potentes viribus, & prælia eorum. & virtutes bonas, quas facerent cum amicis suis. Et in quibus ipsis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura ut magnificaretur in ea. Et qui curiam fecerunt sibi, & quotidie consulebant, CCCXX, consilium agentes de multitudine, ut ea agerent, quæ digna factu viderentur, committentes uni homini magistratum suum, & per singulos annos dominari universæ terræ suæ, ut omnes obedirent uni, & non esset invidia, neque zelus inter eos. &c.

Alibi quoque legitur, quod mos eorum erat communissimus, ut instantे articulo belli dum eligerent, qui exercitum cum auctoritate ordinaret, & de his quæ necessaria viderentur impetraret. Completo autem bello si bene se habuisset, honorabiliter recipiebatur, & post inclamatiōnes laustas & ceremonias consuetas ad pristinum revertebatur statum, nec quicquam ultra de principatu, nisi denuo per communitatē vocatus, se intromisit. Hoc regimine politico in immensum Respublica crevit, & usque in longinquum optime conservabatur. Non memini me legiisse provinciam aliquam observasse hujusmodi Romanum regimen sic in longinquum, sicut istam antiquam Saxoniam, quæ semper in suo proposito dura & constans fuit, quasi justa divina ordinatio Saxeum nomen tribuisse, pro eo quo saxum difficile cavatur, & quod semel insculpitur permanentissime retineat.

CAPVT II.

De Carolo magno & Pipino ejus patre, & aliis qui hanc terram armis ceperunt, & fidei subdiderunt

Andem divinabonitas, quæ humano generi semper misereri potius eligit, quam irasci, postquam vedit duritiam Saxonum per simplicem prædicationem & miraculorum choruscationem emollii non posse, aptavit providentiae suæ fortissimos reges, & principes, qui gentem hanc, ut vitrum contererent, donec ad cor rediret, ac suæ infidelitatis insaniam abiiceret. Fuerint inter eos præcipui, Pipinus videlicet Rex Francorum & Carolus filius ejus, qui dictus est magnus, tum propter egregiam magnitudinem corporis tum propter excellentem magnitudinem factorum. Nihil enim in eo mediocre legimus. Hi videntes Saxones esse in convertibiles & Christianis plurimas molestias inserentes, divino fretia auxilio, quasi pluribus injuriis provocati arma corripiunt, & terram ipsorum animose invadunt. Surgunt bella cruentissima & hosti occurrent, per triginta tres annos neque pax neque salus autquies inconcussa cuique provenit. Ita dubie pugnatum est, ut horribilia bella nunquam Carolus totius pene Europæ dominus expertus fuerit, quam cum Saxonibus. Igitur scripturus de inclito magni Caroli triumpho primum ordinate incumbit ostendere fortitudinem adversariorum, quoniam sublimi oratore, teste Josepho, nullus unquam præclaras laudes promovit, quipausos & debiles superavit. Refert proinde orator quidam notabilis de gente Saxonum, dicens: Saxonica gens longe maxima erat, ac etiam bellicosissima pene Germanorum omnium. Hi falsos colentes deos cum neque huuani juris quicquam pensi haberent, nihil æque ut religionem nostram homines qui & deditos oderant. Proximerant Francis, cum quibus continua bellagerant. Sæpe præliis vieti, conditiones acceperant, obsides dederant, sed nondum apud Francos erat inventus, qui domita penitus eorum perfidiam plenissimam esset victoriam consecutus.

Hæc palma, cum Carolo Magno quasi divino numine reservata videretur, non solum consilio principes, sed pasim omnes clamoribus hoc egerunt, ut adversus perpetuos Francorum hostes totis viribus arma sumerentur. Carolus vero tempus venisse ratus, in quo non modo barbarorum hominum audaciam frangere, sed etiam eorum regnum, quod multo ante animo agitaverat, funditus evertere posset, ingentem exercitum parat, diem dicit, qua prope ripam fluminis Rhenones convenian. Nunquam alias majori alacritate contentioneque animorum suscepta Francis expeditio est. Hinc odium gentis, hinc spes bene gerendæ rei animum excitat, sed super omnia studium auget præsentia Regis. Has spes, cogitationes quoque secum portantes in hostilem agrum ducuntur. Sic igitur renovatum est cum Saxonibus bellum, quo nec manus ullum, nec gravius diuturniusque à Carolo gestum, comperio. Tres enim & triginta annos cum ferocissimis gentibus certatum constat, plusque eo bello quam reliquis omnibus detrimenti acceptum, interemptis plenisque fortissimis viris, qui diu sub confidentia Caroli, egregiam operam navando meruerant. Saxones hoc tempore multoies superati, obsides dabant & imperatae facturos pollicebantur, nec multo post recuperatis viribus, majus quam antea bellum ciebant, ut facile appareret homines feros, quod sibi persuaserent ceteris aliis virtute præstare, paratos esse, ultimas etiam vires experiri, antequam armis Francoruui aut cujusque alterius gentis potentiae cederent. Factum est tamen summa virtute & incredibili constantia Caroli, ut nunquam illi defecerint, quin confessim debitas poenas suæ perfidiae dederint. Eversæ domus, dissipatæ fortunæ, liberi in servitudinem tracti, omnibus documento fuere, nullum infalsis diis præsidium esse, Hæc ille. De maximis quoque periculis unum tangit. Turpinus Archiepiscopus Rhemensis, dicens inter cetera, quod dum Carolus in quadam civitate à tribus regibus, scilicet Saxonum, Frisonum, & Wandalorum, cum exercitibns maximis teneretur obfessus, mandavit Rotolando filio sororis suæ, ut sibi cito succurreret, & eum à paganis liberaret. Erat tunc idem gravissima perplexitate, urbem Gratianopolim obsidens, quam septennio jam circumdiderat. Sed Dominum obsecrans, triduano jejuno maceratus, ut urbem everteret, exauditus est, & sic ad Theutoniæ pro liberando avunculo securus ivit, ipsumque fugata obsidione reduxit. Fertur quoque cum aliquando ab hostibus graviter infestaretur, & fugam legitime pro salvatione sua & exercitus peteret, ut nonnulli resistentes dicenter, quod turpem rem faceret fugiendo, ille penitus non acquievit. sed illico respondit: Melius est, ut dicatur, Carolus occisus est. Sicque exercitu permanentem traducto evasit, & vocatur locus ille usque hodie, Frankenwerde. Dicitur quod in memoriam illius nobilis fugæ fabricata sit ibi civitas illa & in opposito ejus *Sassenhausen*. Debet enim vir fortis quandoque de campo fugere, prout ratio loci & temporis postulat, & non invilem mortem Deum tentando se prostrernere, quin potius ad utiliora, & vitam & robur, conservare. Hæc & alia multa secundum jus militare percessus est, sacratissimus princeps, quæ tamen juxta morem scribentium ex magna parte subtiliter videantur. Sed qui Deo gloriam potius querunt quam hominum, illa non omittunt, quæ ad ipsam dilatandam deserviunt. Hæc breviter sic tacta sint in generali, ut sciamus, victoriæ hanc inspicabilem, & à primis diebus usque ad hoc tempus dilatam, divinitus potius datam, quam humanitus acquisitam. Sed nunc ad narrationem in speciali accedamus, illis dimissis quæ seculari more non intuitu fidei ante Carolum facta leguntur, sed pro terrenis principatibus dilatandis.

CAPVT III.

De primo ingressu Caroli in Saxoniam.

Anno igitur Domini septingentesimo septuagesimo cœpit Carolus post mortem fratris sui, solus regnare in Francia, annos natus viginti quatuor, adolescens egregia indolis, qui ob magnitudinem factorum, & corporis elegantiam, præcellentiamque virtutis, dictus est magnus. Hic miles in domino felicissimus, & princeps Christianæ plebis serenissimus, tantam omnium gratiarum est consecutus exuberantiam, ut nemo vitam ejus nequeat ablique voluptate spiritali ac ornamenti, cunctaque bona quæ ab hominibus expeti solent, & supremos principes decent, cum titulo sanctitatis favorabiliter possedit. Nam in nobilissima est patria, amplissimo genere, clarissimus parentibus ortus, ex Romanorum, Græcorum, Francorum, Alamannorum, illustrissimum sanguinem trahens. Non ei validudo corporis defuit, non pulchritudo, non robur, non magnitudo animi, sapientia, iustitia, probitas, fides, amicitia, clemencia, religio, aliaque permulta laude dignissima in eo modum excecerant. Quid amplius? Si Tullius sublimiter extulit, Decios, Fabios, Regulos, Marcellos, Scipiones, aliosque quam plures, eosque divinis laudibus prosecutus est, quid nobis de Carolo dicendum erit, qui non pro una Républica, aut gloria populi Romani, sed pro communi libertate omnium Christianorum semper bella suscepit, & quotidie animam suam in manibus ponens, prope quinqvaginta annos cum hostiis.

iusdecretavit. Accedit ad hoc inauditum Apostolicæ dignitatis fastigium, ac sacræ fidei fertilius, qvoniā non pauciores ad Catholicam adduxit Ecclesiam materiali gladio populos, qvam dñm Apostolorum aliquis gladio spirituali. Et ut hoc probemus, à nostra Saxonia exordium suscipimus, qvam iuvenilibus adhuc in annis constitutus, ad fidem traxit.

Anno siqvidem secundo regni sui qvi est Christi. CCCCCCCC. LXXI. agens vicesimum quinto annum ætatis propriæ, prudentum morem imitando, ut nihil temere videretur attenere, apud Wormaciā synodum jussit celebrari, ubi de negotiis opportunis matura fieret deliberatio, ac contra Saxones apta & industriosā expeditio. Seqventi anno, inde magno stipatus exercitu, Saxoniam potenter ingreditur, & multa vi insistens, cepit Arisburgum, vulgariter Mersborch dictum, id est, castrum martis. Et Hermesuel usque pervenit, qvod interpretatur finia Hermetis, & ipsum fanum destruxit, & argentum & aurum qvod ibi reperit copiosum absulit. Hoc in chronicis Gregorii Turonensis habetur, qvod etiam testatur Dominus Johannes de Essendia sacræ Theologiae professor, & frater Hermanus de Hervordia ordinis prædicatorum qd hanc expeditionem diligenter prosequuntur. Ethos prout in plurimum seqvor.

Adverte qvæ loca principalioris provinciæ à diis nominabantur: qvorum plurima permanentesque in præsens & antiquum vocabulum retainent. Erant autem in statua prædicta Hermesuel, qvatuor imagines sculptæ, scilicet Martis, Mercurii, Herculis, & Apollinis: sed tamen à Marte tanquam principaliori demoninabatur locus. Hoc erat vastissimum Idolum totius Saxoniz, qvod prudentiusqve consilio, Carolus prium aggressus est, ut illo destructo citius provincias ab idolatria animum revocarent, Mira dicuntur de fortitudine illius loci, & de structura & columnarum pulchritudine, atqve decore illius phani.

Insigne namqve Saxonum, erat Leo, Draco, & aquila desuper volitans, ad ostendendum in eis fortitudinem, prudentiam & invicti animi constantiam. Sed cum sic gloriösi esient secundum statum secularem, non intellexerunt qvam ignobilem paterentur servitutem, dæmonum ritus observando. Oportuit ergo per viam aliam, hoc est, per potentiam arnorum durissimæ cervicis penitaciam castigate, donec vexatio tribueret intellectum auditui. Pie creditur, ut dictum est, qvod divina bonitas qvæ humano generi semper misereri potius eligit qvam irasci, postqvam vidit unitam Saxonum per simplicem prædicationem & miraculorum choruscationem molliri non posse, aptavit providentia suæ fortissimos reges ac principes, qvi gentem hanc ut vitrum concurrent, donec ad cor rediret, & sua infidelitatis insaniam abjiceret.

Aut forte si omnino converti nollent, penitus interirent, ac aliorum salutem ultra non impulerent. Qvod ita factum constat. Nam deletis aut fugatis rebellibus, optime fides fundata ibi erit, & usqve in præsens (de qvo gloria immortali Deo) stabiliter perseveravit.

Ut autem Dominus manifestaret, qvam grata sibi hac expeditio foret, miraculum gloriosum ostendit in exordio pugnæ, qvod hoc ordine factum est. Nam cum Rex staret per aliquot dies in obsidione præfati loci munitissimi, evenit ut propter æstatis fervorem aquæ deficerent, & exercitus in summo periculo esset. Sed divina favente clementia militibus suis Christus providit, tñ clara die cunctis ex more circa meridiem qviescentibus, fons erupit ignorantibus universis, qapqæ largissime effusæ sunt ad omnem sufficientiam. Durabat quoqve ad triduum, qvousqve pluviam funditus destrueretur. Cepit deinde castrum Siburchi, supra fluvium Ruræ situm prope Temoniam, & Francis utrobiqve positis, venit ad Weseram & icedere inito cum Saxonibus, obides 12. recepit. Sic intermissum est bellum Saxonicum ad tempus, primo congressu Domino longente fidelibus inclytam victoriam. Maxima enim strages Saxonum facta erat, anteqvam culta dejicerentur. Processit ex tunc rex ad Italiam contra Desiderium regem, anno DCC. LXXIII. & potito triumpho ecclesiam & Adrianum Papam magnifice liberavit.

CAPVT IV.

De rebellione Saxonum.

Saxonæ sic superari primo congressu à Francis doluerunt nimis, ac comperto qvod Carolus discessisset in longinquam regionem, congregatis agminibus suis, Siborch recuperant, occisisqve Franci, castrum destruxerunt. Deinde ad Mersborch properantes, illud oppugnant, siveqve ad fines Hasliæ venientes, illam prædantur, & flammis cuncta succendunt. Verum iterum ostendit ibi gratiam suam Dominus, qvia cum venissent ad Frideslariam, & incendiare vellent ecclesiam, qvam sanctus Bonifacius illic consecraverat, omnino nequiviverant, qvini potius gravi timore divinitus perculti, turpiter universi fugerunt, nullo persequeente.

Culpantur hic Saxonæ de fracta fide, sed aliqualiter videntur excusandi illi, qvia Carolus homagium præstiterant. Cujus ratio assignatur, qvia provincia nimis magna erat, videlicet à Rheno usqve ad Weseram, & consequenter à Wesera usqve ad Elbiam, & confines videlicet Wandalii, & Daci, ceterique infideles, Normanni, Frisones cum suis, auxilium præstabant

Saxonibus

Saxonibus. Ipsa quoque Saxonia non erat unita sub uno rege, sed habebat tot duces, quot pagos, & uno superato, alias reclamabat aut fugiebat ad vicinos, recedenteque Carolo redibat cum exercitu oppugnans vicinum, donec acquiescerent sibi, sicut olim Gaboanitis contigit, Josue X. Hunc modum dicunt habuisse Ostphalos, id est, Orientales Saxones, qui transmissa Weiera Westphalos Carolo subjectos ex parte invaserunt, & iterum Karolo redeunte, fugerunt, & hoc colludio disceptatio in longinquum processit. Ait enim praefatus doctor Joannes, quod Ostphali totiens iteratae rebellionis causa extiterunt, Westphalis persuadentes minis vel promissis rebellionem. Unde dicitur in historia metrica Caroli de eis: Sed variis divisa modis plebs omnis, habebat. Quot pagos, tot pene duces &c. ut supra dictum est.

Adverte hic casum singularem, in quo regnum in se divisum diutius tenuit robur contra hostes. Nam si habuisset Saxonia unum regem supra se, facilius obtinueret Carolus victoriam, quia uno superato, omnes quiete iniissent foedus cum eo. Excusandi sunt ergo Westphali à phala francice, quod est fallacia, latine, quia phalos, idem est, quod socius. Unde dicebant olim ephalar, Westphalar, Ostphalar, & sic de aliis. Ad propositum redeundo, potest dici quod terra Saxoniae hoc tempore juxta morem provinciatum habuit aliquos bona voluntatis homines qui favebant fidei, alios vero rebelles qui paulatim exterminati fuerunt.

Et hoc quod jam dictum est de prima rebellione, contigit Anno Domini DCC. LXXIV, cum Carolus revertebatur ex Italia. Venit autem ad locum dictum Ingeleym in Diocesi Moguntina ubi comperta Saxonum rebellione, misit contra eos quatuor scaras, id est turmas pugnatorum, quarum tres collata acie dimicarunt, cum adversariis & triumpharunt. Quarta cum non invenire apparatum certandi, rediit cum prædam magna. Post hac anno. DCC. LXXV. Carolus consilium habuit in villa, quæ dicitur Duria, ubi omnium sententia fuit, ne requies ultra daretur Saxonibus, donec aut fidem recipere, aut penitus deficerent. Intrans ergo iterum cum gravi multitudine Saxoniam, castrum Siborch reædificat, & ad Westeram properat, ubi Saxones disponuerant bellum gerere, in loco dicto Brunesburch. Habuerunt autem cautelam ut vadum præoccuparent, ne rex transiret fluvium, intrando, scilicet Ostxoniam. Commissum est bellum, & Saxones multi fugati, alii occisi, & fideles ambas ripas obtinuerunt. Dividens autem Rex exercitum hinc & inde, dimidiavat partem ibi reliquit, & cum reliquis ad Brunswick divertit, ubi super fluvium Anaker celerius venientes, Austrelyndi Saxones cum suo capitaneo, se sponte subligerunt legi, datis obsidibus ad placitum. Interim Saxones bellum moverunt contra reelectos super Westeram, in Lubeka dicecisis Myndensis, & superati sunt. Vetuntamen quidam de Franci dolose interfecitfuerant. Nam cum vellent eqvis afferre pabula, miscuerunt se Saxones quasi fideles adjutores, & sic intrantes pariter in castra, dormientes Francos, trucidarunt quam plurimos donec cæteri excitati, propellerent eos. Rediens quoque Rex furore succensus, stragam magnam fecit, & prædam tulit, & Westphali obsides dederunt. Angarii fecerunt sicut Australi in pago qui dicitur Buda, & Bruno cum optimaribus suis obsides dederat. His peractis Rex in Franciam revertitur, & deinde ad Italiam peruenit, ubi pacta victoria cum redisset, venit nunciatus dicens, Saxones sacramenta violasse, & fidem irritam fecisse, Insuper dolose Mersborch cepisse, Francos occidisse, & castrum penitus destruxisse. Syborch etiam animose oppugnare ceperant, sed juvante Domino à fidelibus suis fugati sunt usque ad fluvium Lyppiam. His auditis Rex consilium celeriter convenit Wormaciæ, Anno. DCC. LXXVI. & tanquam tempestas quædam Saxoniam introivit, venitque in locum qui dicitur Lyppensprunck, ubi multitudo confluerat, quæ tota supplices manus dedit, & Baptisma petiit. Pius autem Rex flexus ignoravit illis, & iussit baptizari eos, castrum Mersborch iterum reædificat, aliudque etiam super Lyppiam dictum Vechtele, ubi postis custodibus, revertitur in Franciam, & Pascha celebravit in Novomagio. Exinde anno sequenti. DCC. LXXTII, cum gravit turba revertitur in Saxoniam ad locum qui dicitur Paderorne, quo convenerunt ad primum consilium celebrandum omnes Franci ex cunctis partibus Saxonie, multitudo non pauca, quæ ibi baptizata est. Promittunt ibi fidem se servaturos sub persona amissionis libertatis & bonorum omnium.

CAPVT V.

De pertinacia & præliis Wedekyni.

Veruntamen adhuc plerique remanserunt duræ cervicis increduli, quorum principalis capitaneus erat quidam vir nobilis & fortis, dictus Wedekynus, quem quidam nominabant regem, alii ducem, filium Gigantem robustum. Dani quoque vulgariter vocant eum usque hodie, Konynck Wedekyn, Wernikens son, id est, Regem Wedekynum Wernikyni. Sedin hoc standum est potius Bedæ, qui unus de satrapis fuit, quem sors ad regendum exercitum accivit. Quia vero in longinquum processit concertatio, & inluspicabili animo statim Francorum præpedivit triumphos, Ideo fama nominis ejus præ cæteris excrevit in orbe. Hunc non reperitur aliquando fregisse promissum, sed usque ad extremum fugisse ditionem, & pertinacissime semper restitisse. Nam ad consilium Paderbornense noluit accedere.

Anno

Anno interea, DCC.LXXVIII. Carolus ad Hispaniam profectus, cuncta prospere gessit, sed rediens triste nuncium audivit. Nam Wedekynus cum horribili turma Saxonum inhumani vestigia vastavit fines Rheni in longum & latum, à Tuitio qua est in opposito Coloniae usque Confluentiam, omnia aut igne aut gladio consumens, nec monialibus parcens, aut sacris locis. Prædam insuper non quærebat, sed ultionem, nec hominum cædis ullus modus erat, nulla conditio sexus vel aetatis evasit. Tantam igitur malitiam Carolus vindicare volens, misit contra Saxones exercitum, qui in lequebatur ipsos fugientes usque ad locum qui dicitur Badawolt, & super fluvium Adernam, in loco qui dicitur Lyhos, ubi accerrime compugnantes, pauci de infidelibus superuerunt. Et Wedekynus fuga lapsus, Normaniam adivit.

Sequenti anno scilicet DCC.LXXIX. Rex ad Franciam reversus, cogitavit iterum invadere Saxoniā, & exercitu traducto in locum, qui dicitur Lyppekant, prope Weseliam, ex adverso Saxones prope Borcholdiam castra posuerunt, volentes impedire regem. Sed Rex suo more confidenter occurrit eis, & commissa est pugna gravis, & triumphans obtinuit campum, & Saxones fugientes, omnes suas firmitates reliquerunt. Unde fidelibus militibus Christi aperta est via in Westphaliā, & Rex omnes subjugavit sibi, exceptis illis qui fugerant ultra Weseram.

Adverte qvod hic primum fit mentio de illa parte Westphaliae in qua est diœcesis Monasteriensis, quæ statim se subdidit fidei, nec legitur rebellasse. Erat enim vicina terris Christianorum, & verisimiliter jam ibi plures Christiani facti fuerant. Rex vero transiit usque ad Weseram, ubi ad eum venerunt de Angaria, & Ostphalia, fidem promittentes sub juramento, datis etiam obediens.

His peractis Rex Wormaciā properat, & denuo rediens venit ad Mersborch, & deinde ad Lippenspruck, pro congregando concilio ad disponendam provinciam secundum ritum Ecclesiæ Catholicæ. Processit etiam latius ad Albiam in locum qui dicitur Bardewyck, & multitudo magna Scavorum, Wyndorum, Frisonum, baptizata est, divisitq; terram & posuit illic episcopos, Presbyteros, & Abbates, ut Neophyti in fide confirmarent.

Anno DCC. LXXVIII. Carolus Romam devotionis gratia solenniter ivit, & gloriose ab Adriano Papa suscepimus, rebusq; cunctis propere peractis, reversus est in Franciam. Interim aente Rege motus magnus factus est in Saxonia. Nam Wedekynus congregans quos poterat in loco, ubi Hala fluit circa Osnabergæ oppidum, insidias plus ex animi ferocitate quam virtutis potuimus moliebatur. Quo Rex comperto venit ad campum, & intelligens cecidiisse in priori bello de Francis plures, aliosq; adhuc ægros ex vulneribus receptis, subito novum exercitum recuperans, congregatus est, & fugatis, cæsis, captisq; Saxonibus, omnem terram eorum depopulabatur usque ad Albiam. Qvibus feliciter gestis redit ad Franciam, & sequenti Anno DCC. LXXXI. venit iterum ad Lippenspruck, disponens negotia provinciæ, præsentibus ibi universis optimatibus & satrapis solo Wedekyno excepto cum suis. Ibi constituit pro Saxonia administranda comites ex nobisimis de genere Saxonum. Venerunt quoque ad synodum legati de Dacia, de Normania, Unaria, & aliis pro pace petenda, quos benigne Rex suscipiens cum gratia remisit, & ipse in Franciam regreditur.

Sed hoc Wedekynus percipiens, auxilia Normanoruū advocans, revertitur ad Saxones, multisq; ad se alliciens fecit novum confurgere bellum. Sclavi quoque manum validam eduentes audacter fines Saxonum ac Thuringorum invadunt cuncta vastantes. Contra hos misit Rex tres comites Palatinos, qui vocabantur Adalgisus, Gilo, Warandus, ut moverent exercitum Francorum & Saxonum super Sclavos paucos adhuc rebelles. Sed in via cum audissent Wedekynum nova moliri, statuerunt inconsulto illum debellare primum, confisi de multitudine exercituum suorum, nusquam recordantes astutas & desperationem viri, qui pro vindicta minacem gerebat animum. Concurrentibus igitur adversariis in loco qui dicitur Sonnendal, id est, vallis soli, atrox conseruit pugna in convallibus VVeserae Myndam respicientibus. Et quia duces parviti debant agmen invadere desperatum, arbitrantes se ad prædam, non ad bellum ituros, fortiter illi congressi sunt, & male pugnatum est ab utraque parte. Nam Francorum proceres viginti duo præclarissimi omnes, illi scilicet Adalgysus & Gilo cum exercitu pene toto ceciderunt, paucis exceptis, qui sylvas & montes expetierunt, Wedekynus quoque tot amisit, ut Franci Victoria proveniret, licet satis (ut sic loquar) dolorosa. Rex autem his auditis celeriter quoque poterat accersivit, & Rhenum secundo transiens, venit in provinciam, & castra posuit in locum illum ubi Alera confluit in VVeseram. Ibi ad eum iterum convenerunt omnes Saxones subjecti nem profitentes, & se excusantes de facinore commisso, simul protestantes quod solus Wedekynus auctor tantæ stragis fuisset. Insuper obtulerunt Regi quatuor milia & quingentos complices ejus, quos omnes die una jussit decollari, & sic pacata terra rediit in Franciam.

CAPVT

CAPVT VI.

De ultimis bellis habitis contra Saxones.

Sicut omnium fortissimus Wedekynus, ita & cæteris industrior videbatur, qvo nemo hominem sub cœlo majora intulit Carolo mala. Videns ergo se tutum non esse in patria, iterum ad Normannos confugit. Cæteri inter confines provinciæ residentes, cum vidissent ita severe Carolum tantam multitudinem truncasse, cumqve Saxones contra Saxones militarent, animum resumpserunt, & ultimas vires experiri cupientes, motus novos iterum citra & ultra Westeram suscitarunt. Sed non segniter Carolus hic cognitis redditum paraverat, qvia potius ipse Ostphalos aggressus, & filius ejus Carolus & nomine & mentis industria pargenitor, Westphalos petivit, & cunctos sibi non acquiescentes, cum rebus eorum omnibus grandi clade, ferro & igne vastarunt, facta sunt hæc Anno DCC. LXXXIII. bello magno in territorio Lyppiæ, in villa Dechmode nimis fervesciente, in campo plano montis Oylynck, juxta Lemgo quasi ad militare.

Post hæc iterum congregata sunt agmina Saxonum ad ripam Hasæ, ubi hodie civitas Osburgensis sita est, & inde ad oppidum Hassellunne, duo maxima fuerunt hæc bella, qvæ unquam geslit Carolus contra Saxones: & Domino largiente victoriæ obtinuit, nihil simile deinceps attinuerunt infideles, contra milites Christi. Hæc autem VVedekynus instruxerat, sed superatus cum suis ultra VVesteram transfugit, & deficientibus viribus ac successibus non faventibus, cessavit. Hoc anno Domina Bertha regina, mater Caroli obiit, qvæ erat filia Heraclii Imperatoris Graecorum ac Romanorum.

Anno. DCC. MXXXIV. qvidam Saxo nomine Hastradus vel Hardradus bellum cupiens, congregavit qvós poterat & aliquam strenuitate fulcitus. Sed Rex à Novomagio transfretans venit in Saxoniam, & applicuit juxta locum ubi Lyppia fluit in Rhenum prope VVesteliam, & transiens usque ad Luchidi, bellum satis durum, & sanguinissima factio orta est, sed statim sedata quievit. Autores vero clementer punivit, nullum occidi permittens, sed qvosdam exoculari, qvosdam vero exilio damnari.

Qvædam alia adhuc parva narrantur bella suis, vel irruptiones super Lyppiam, & VVesteram, qvæ similiter facilibus iopita congressibus fuerant.

Hoc Anno hyemavit Rex in Saxonia, simul proponens in ea manere, donec totaliter Christianæ religioni subderetur, & feculenta progenies perfidorum tolleretur. Erat hæc hyems lugubris multum imbellibus, qvia sâpe siebant de jussu regis expeditiones ad vastanda loca illa, ubi se continebant, & flammis ac cladibus spoliisqve distractis cuncti cuncta petierant, ut jam non esset spes resistendi. Hanc extremam severitatem cogebatur pius Rex ministrare cum multo dolore cordis sui, propter nimiam pertinaciam ipsorum, qui nec Francis, nec Saxonibus pepercérunt.

Interea ut fertur misit Rex legatum Romam ad Leonem Papam, pro consilio habendo de rebellibus istis, qvos nulla poterat diligentia ex toto compescere aut ex terminare. At sanctus vir audita legatione nihil prorsus respondit, sed surgens ad hortulum ivit, & zizania cum tribulis colligens, supra patibulum qvod de virginis tacerat, suspendit. Rediens autem legatus hæc Carolo nunciavit, qui mox jus vetitum instituit, qvod usqve in præsens venia vocatur. Videtur autem hoc nomen tractum à latino, & qvidam de more habent etiam Teutonici, ut dicant VVemy, qvando aliqvad triste vel terrible vident vel audiunt, qvali vñ mihi, sic hoc pragmatico & formidabili & peremptorio jure promulgato illico responderunt: VVemi, qvali animo conformati pro tam severa constitutione palam fancita. Veruntamen qvia cessante causa, cessare debuit et jam effectus, ideo postqvam patria satis expurgata fuit, etiam rigor ille inolevit, & alia iura & plebiscita superaddita fuerunt, per qvæ communis populus regeretur.

CAPVT VII.

De pace facta & conversione Wedekyni.

Anno Domini. DCC. LXXV. ablatum est jugum paganorum à Saxonia, & cepit populus vivere juxta ritum Christianorum. In brevi profecit valde austriusqve se instituit in jejuniis eleemosynis datis, ac aliis operibus fidei, qvam vicinæ nationes, cujus vespigia qvædam adhuc permanent usqve in præsens. Carolus autem hoc anno venit ad Padbornam, ubi synodo celebrata, misit per totam Saxoniam pro viis aperiendis & pacificandis, & iter arripiens, multa bona instituit, & totam illam regionem, legibus, structuris, privilegiis, ecclesiis, reliquiis, ac aliis clenndiis decoravit, de qvibus solemnis relatio, est usqve hodie.

Et qvæ

Et quia prudentissimus erat, & sui potens quasi injuriarum omnium immemor (quas à Wedekyno acceperat) simul considerans pericula quae possent iterum ebullire, tentavit pietate superare & beneficiis, quem armis vincere nequivat & minis.

Veniens ergo in Bardewick, misit pro Wedekyno verbis pacificis & gratiosis, ut ad se veniret, sed ipse credere nolebat, donec Rex mitteret sibi obsides ad placitum suum cum salvo conductu, & dextera securitatis, ut moris est principibus. Qvod audiens Rex, illico misit qui exceptus, & sic venit assumpto secum Albione: ac juxta Dei voluntatem res prosperata crevit in grande bonum fidei, & in confirmationem omnium quae jam inchoata fuerant in provincia. Tonus enim conatus Regis ad hoc tendebat, ut eos ad fidem converteret, qvod tandem non sine difficultate, & præsertim divino oraculo factum est.

Qualiter autem Wedekynus ad fidem venerit, diversæ sunt relationes. Turonensis simpliciter dicit, qvod præfatis duobus venientibus ad Regem, conclusit cum eis qvod venirent ad eum in Franciam, ut informati de fide baptizarentur, qvod factum est in Attiniaco.

Et hoc quidem potest veritatem habere, sed quia nihil præcessit, non videtur, credibile, quia fixus VVedekynus humanis studiis & verbis emolliri nequivat. Ajunt ergo, qvod miraculo interveniente ab errore suo sit conversus hoc modo: Nam post plures tractationes, & exhortationes, cum Carolus nihil proficeret, quasi Dominum interpellans, ipsum ad ecclesiam duxit. Intuente autem quomodo Missarum solemnia agerentur, cœpit primo multa delectatione detinere, ac deinde infremuit omni svavitate rejecta. Carolus vero rem tacitus considerans, finitis divinis, eum ad prandium invitavit, presbytero qui missas celebravit ad latus collocato. Epu-
licibus autem cunctis, Wedekyno dixit, quomodo tibi frater placet convivium meum? At ille tremum infremuit, dicens. Nequaquam mihi placet convivium tuum, qvod illum latronem ad latus collocasti. Ait ille: Cur latronem vocas, qui neminem unquam occidit? Et rufus. Ego vidi qvod pulcherrimum puerulum in manibus habuit, & plaudens cum eo, de osculansque ipsum, deinde lacerauit & comedit. Alii dicunt qvod proprio motu clam intravit ecclesiam, volens explorare an Deus Christianorum esset in altari, an non. Et cum vidisset hæc, Karolo dixit: Jam expertus sum, qvod retra fides vera est, quai sic & sic vidi. Tunc Karolus gratulabundus ait, Eja mi frater. Ego Christianus ab infantia, & de Christianis parentibus natus, nunquam talēm gratiam habere nui, sicut tu hodie. Jam Dominus vocat te, noli ultra differre. Ex tunc immutatum fuit ex Wedekyni, ut gratia baptismali renatus, omnia spernens, monacho similior, quam duci apparet. Ita hunc ad fidem Christi tardiorem invenimus post fidem receptam devotiorem. Multis donis ditavit ecclesiæ, præsertim Osnaburgensem & Myndensem. Collegium in Engerem habavit, ubi olim erat principale castrum totius Westphaliæ & post bonam ac sanctam vitam viri, septimo idus Januarii, sepultus in choro ibidem. Osse autem propter gloriam miraculorum per eum Dominus facere dignatus est, translata sunt in quadam arca, & ibi habentur illi versus.

*Offa viri fortis cuius sors nescia mortis,
Iste locus claudit: euge bone spiritus, audit,
Omnis mundatur, hunc regem qui veneratur,
Ægros hic morbis cæli Rex janat & orbis.*

Eius castrum dirutum adhuc ostenditur prope Rullam nostræ diœcesis, juxta qvod est parochialis ecclesia dicta Belem, olim Bethlehem, ut putatur ex devotione natalis Domini sic nunquamata, in qua Wedekynus baptizari elegit, Karolo eum de fonte levante. In eadem ecclesia est lapidarium preciosum usquehodie, in signum hujus solemnis revocationis perseverans. Concordando autem ista cum supradictis, potest dici qvod in Attiniaco factus sit catechumenus, & post tempus in Pelem sit baptizatus, sicut consuetudo est principum qvod sponsalia, & sepultum, & cætera magnifica in propriis terris libentius procurent.

CAPVT VIII.

De solemnī institutione Episcopatum utriusque Saxonie.

Purgata dehinc provincia, jam toto mentis annisu Carolus insudabat, ut semen fidei, qvod longo tempore in ea satum fuerat, & fructum nondum fecerat, propter petrosa corda, & spinas & vias, sive consveta, & nimis trita, sacrilegia idolatriæ, deinceps fœcundum fieret, & fructum multum afferret in patientia. Hoc itaque ut efficacius fieret Anno Domini DCC. LXXXVI. totam Saxoniam subiecit clero; & per diœceses distinxit, ac viros sanctos inpon.

Kkk k

in pontifices sublimavit, qvo verbo & exemplo & miraculorum ac signorum freqventi exhibitione populum adhuc rudem instituerent. Sunt autem decem episcopatus instituti per piissimum Regem Carolum, qvi in omnibus divinum honorem qvæsivit, & animarum salutem, propter qvod merito Apostolicus vir dicendus est, qvi post aurum non abiit, nec pompam Dominiorum, aut fastum gloriæ temporalis magnipendit. Ordinem fundationis non æqualiter inveni, qvemadmodum, ut creditur, propter insultus hostiles, & si ante hunc annum aliquos fundavit, tamen consummare non potuit, aut si qvos præfecerat, statim ab adversariis dejiciebantur, nec aliqua perseverans pax in terra fuit, ut Christiano more possent divina celebrari, & jurisdictio ecclesiastica administrari cum religione debita & consveta.

Sedes proinde prima pontificalis à Carolo fundata, assignatur ecclesia *Osnaburgensis*, sita intra montem orientalem illius terræ, vulgariter dictum Oystinck, in valle amæna montibus circumsepta super Hasam fluvium. Hanc ecclesiam dilexit specialiter, & excellenter libertatibus donavit. reliquiis & clenodiis decoravit, Scholas Græcas & Latinas ibi perpetuo tenendas ordinavit, & venerabilem Dominum Wyhonem primum episcopum eidem præfecit. Et qvia fin. Etum Petrum apostolum speciali devotione coluit, eundem patronum ibidem esse voluit, anno domini, DCC. LXXII. Wedekynus etiam post suam conversionem eandem ecclesiam veluti matrem, non parum promovit & glorificavit.

Secunda est *Halbenstadenis*, fundata in honore sancti Stephani protomartyris, qvi ante erat in loco dicto Osterwyck, ubi præfecit sanctum Hyldegrinum fratrem sancti Ludgeri, primum Episcopum, anno, DCC. LXXXI. Et post anno translata est in Halverstat.

Tertia est *Myndensis* fundata in honore sancti Petri apostoli, in loco apto & delicioso, super Weseram fluvium, in castro VVedekyni. Et reposuit ibi corpora sanctorum Feliciani episcopi & martyris, Carpophori, Habundi martyrum, Sophiae viduae. Et præfecit in ea Hercumbertum primum episcopum, anno Domini, DCC. LXXX. virum Sanctum.

Quarta est *Bremensis*, fundata in honore sancti Petri, in VViichmodia in loco Bremon vocato supra VVeseram. Hanc qvoqve egregiis insignivit reliaviis & clenodiis. Et præfecit ei sanctum VVylbadum episcopum, anno, DCC. LXXXI. primum gloriosum evangelistam, qvi cum sancto Bonifacio ex Anglia venerat.

Quinta est *Paderbornensis*, fundata in honore Beatae virginis Mariæ, qvam similliter decoravit multis donariis & reliquiis, scilicet sancti Lyborii, Panacii, Thuribuli, Grundanisoli, & Felicis Aqvilegiensis, præfecitqve in ea anno, CCCCCCCC. LXXII. sanctum Baduradum primum episcopum.

Sexta est *Werdenis*, fundata in honorem Domini Jesu, ac matris ejus in loco Tardan dicto super Aleram fluvium, ubi præfecit in primum episcopum, virum sanctum Suwybertum miraculæ gloriosum, discipulum sancti Bonifacii. In hac ecclesia habentur generalia privilegia omnium episcopatum Saxoniæ, data Moguntiæ à Carolo, anno DCC. LXXXVI. præsentibus ibidem archiepiscopis electoribus, &c.

Septima est *Madeburgensis*, fundata in honorem sancti Mauricii super Albiam in Parthene poli qvondam Putena dicta, qvæ tamen in illo loco non fuit à Carolo fundata, sed in Styde sub dominio comitum de Swalendorf, nunc de Lyppia dictorum, de qvo translata fuit ad VVallersleve, duinde ad Urese, tandem per Otonem primum anno noningentesimo, ad Madeburch, cuius favore mirabiliter sublimata in primariam totius Alamanniæ fuit, & est usqve in præsens. Primus episcopus fuit sanctus Albertus, vir per omnia Reverendus.

Octava est *Monasteriensis*, fundata in honorem sancti Pauli Apostoli in loco qvondam dicto Mymyne Vorde. cui præfecit in primum episcopum sanctum Ludgerum, fama & gloria miraculorum splendidissimum, qvod monasterium VVerdense in loco sylvoso juxta fluvium Kurze extruxit, ibique sepulturam elegit, stupendis signis clarens usqve hodie. Quantum hæc dicessis crevit, qvanqve sit optime dotata & ornata, ac probis viris ac fœminis referta, qvam sobrie in vindicandis injuriis naturaliter temperata, qvam inclyta in freqventibus triumphis effecta, qvam involuntarie bella semper subegerit, qvam pacifica vicinis, qvam terrifica adversariis, non facile dixerim, nec dicere audeo, ne arrogans natalis soli propalator inveniar.

Nona est *Hildensemis*, fundata in honorem sanctæ Mariæ virginis. Hanc tamen Carolus in Aulica primum fundaverat, sed morte præventus non complevit. Filius autem ejus Ludovicus eam transtulit in locum, qvi dicebatur Bunnopolis, precioso miraculo præeunte, dans in primum episcopum sanctum Guntharium, anno DCC. XCVI.

Decima est *Hamborgensis*, fundata in honorem beatæ virginis Mariæ, in Hammonis, id est, Iovis castro, cui primum episcopum dedit sanctum virum Beridanum. Et hoc mortuo Ludowicus præfecit ei sanctum Anscharium, monachum de Corbey, qvi 16. annis archiepiscopus ibi præfuit. Hæc omnium Aqvilonium caput ac metropolis erat, sed anno DCC.XXXVI. translata fuit ad Bremensem, & ei adunata, ubi sededit idem Anscharius 18. annis. Et facta fuerat ecclesia Metropolitana, qvæ antea erat suffraganea Coloniensis.

CAPVT

CAPVT IX.

*De consummatione & confirmatione Saxonum, & adventu
sancti Leonis Papæ in provinciam.*

ROredivino sic fecundata Saxonia, jam misit radices salutares, & per diversos pagos frumentattulit insolitum. Solet namque primitiva gratia liberalis esse pinguis, feruida & obsequiosa, & ad omne opus bonum hilaris. Tempa, monasteria, hospitalia, cæteraque pietatis domicilia, & alia clenodia antiqua, usque in præsens attestantur, qvanta tunc fuerint in populo noviter converso ad cultum sacræ fidei devotio. Sed & memoria dignum supervenit ei adhuc firmamentum, qvod absqve dubio divinitus est ita administratum. Nam Carolus ovans & jucundus effectus, videns laborem suum non periisse, ut crebro timuetat, sed prosperum & beatum finem sortitum, provinciam cœpit plus solito diligere, & moram illic trahere, præcipua festa celebrare, & per seipsum judicia tenere, & justitiam ministrare.

Hæc dum feliciter ageret, transferunt anni & anni, in qvibus grandia fecit per filios suos apud extraneos, sed ipse in Saxonia perseverabat. Et ecce Anno CCCCCCCC. XCIX. dum esset in Pateborna, nuncium recepit de sancto Leone Papa, qualiter à perfidis Romanis oculorum effosione, & linguae præcisione inique punitus esset, & in carcere tritus, sed Dei clementia sanatus & liberatus. Insuper audivit, qvod idem sanctus vir ad se veniret, qvare statim jussit parari omnia, ut tantus pontifex digne susciperetur. Misit igitur obviam ei filium suum Carolum cum exercitu, ipse in loco manens, & cum venisset dignissime, eum suscepit, cum immenso gaudio omnium Christi fidelium. Duxit proinde eum per provinciam in longum & latum, ut loca & populum benedicere, & in sancta fide confirmaret. Pontifex autem congratulans ei gratissime undique circuibat, qvamqvm sibi mora difficilis appareret, & plures ecclesiæ consecravit, de qvibus usqvm in præsens est, receus memoria. Primo consecravit ecclesiæ Patebornensem, in honorem Beatæ virginis. Secundo ecclesiæ in Hamelem, in honorem sancti Bonifacii martyris Tertio prope Mindam in villa montis Wedekenberch, ecclesiæ dictam Berckkerken, consecravit in honorem sancti Nicolai. In hujus ecclesiæ medio fons est limpidissimus, & campanula qvadam habetur, qvam ipse sanctus Leo Papa ibidem reliquie fertur. Insuper & in Syborch juxta Tremoniam ad miliare consecravit ecclesiæ, & de reliquiis ac indulgentiis, privilegiis, & aliis beneficiis multiplex est relatio per totam provinciam.

Magna sunt hæc & stupenda dona ingrato & rebelli populo exhibita, qvæ non parum protestantur quantum dilexerit dominus salutem Saxonum, qvitalem ei pontificem & episcopos presbyteros, Regem ac principes transmisit.

Veruntamen anteqvam dominus Papa venerat, facinus qvoddam nimis enorme commis-
sant quidam Saxones ab aliis Northalbingi vocati. Nam cum Rex ad ipsos misisset legatos pro iustitia legali more gerenda, statim illos inculta plebs interemit. Qvod audiens, valde commotus
fuit, & exercitu advocate gravissime vindicavit. Exoritur ibi bellum atrox, & militibus ubique
furentibus, qvatuor millia hostium ceciderunt. Regione vero vastata, vulnera, luctus, clamor,
luga, rapina omnia complebant. Duo tamen duces Karoli, viri incliti, & magnorum operum,
à Scelavis & Danis interficti sunt. Unus erat Beroldus Bavariae comes, alter Ericus dux italicus,
qui pro hac ærumnosa vita periculis plena, per virtutes maximas gloriam mercati sunt æternam.
Ultimo, ut inclytus Rex terram noviter conversam adhuc amplius illustraret, abstulit plures de
Saxonibus cum suis uxoriis, & transtulit in Franciam, ut putatur ad decem milia, & ejusdem
numeri reduxit viros fideles de Francia, Efflaria, Hassania, & Hardania ad Saxoniam, dans eis
terram perpetuo possidendam, & gubernandam, ita tamen ut totius regionis proprietas apud
clerum remaneret, propter periculum recidivandi, & ut ipse clerus (sicut cœperant suo exemplo
jam sancti pontifices & claustrales & pastores) patriam illam in fide Christi, & regis fidelitate ma-
nenteneret. His ita studiose dispositis, magnificus Rex annos natus quasi qvinqaginta sex. Saxon
iz valedicens ad totius Christianitatis gubernacula iturus tractanda, primum sanctum Leonem
papam sedi suæ restituit, & habito judicio de perfidis, vindicavit in eis, & totam Italiam diu affli-
ctam ad pacem reduxit. Hæc facta sunt anno Domini CCCCCCCC. Sequenti anno sanctus Leo
papa permotus justa & necessaria causa, serenissimum Carolum regem Francorum cum assensa
omnium diligentium salutem Christianæ politiæ Imperarorem creat. Romanis fausta clamanti-
bus, felicior Octaviano, melior Trajano. Unde propter qvod in propria persona annis 30. cum
Saxonibus dimicavit, qvibus adduntur anni tres, qvibus sub patre suo Pipino militavit, & soli-
tas congressiones cum ipso contra eosdem perfectit. Qvanta autem bona operatus sit in locis sibi
subjectis, & qvales triumphos exercuerit, contra Saracenos, qvastive virtutes in tota Christiani-
tate ab Hierusalem usque ad ultimos fines Hispaniæ exhibuerit, & leges humanissimas qvas pro-
mulgaverat, qualiter etiam totum Imperium religiose ac sanctè disposerit, optimus qvisque fa-
cile judicabit. Vicit enim famam virtutibus suis, ut merito inter divos numerati debeat, & san-
ctus

Kkk k 2

ctus appellari. Tandem anno Domini CCCCCCCC. XIV. Januarii die 28. ætatis suæ, 72. diem clausit extreum, de palatio ecclesiæ militantis ingrediens palatum ecclesiæ triumphantis. Elegit autem sepulturam in Aqvisgrano, quem locum semper coluit, & structuris & privilegiis, & reliquiis, & gloriose septennali (ut vulgo dicitur) passagio, qvod permanet usqve in præsens, sublimiter decoravit.

CAPVT X.

*De Canonizatione Sancti Caroli, & periculis post ejus obitum
emersis & conversione quatuor provinciarum
magnarum.*

VT autem tantæ virtutes cunctis Christianis, & præsertim principibus in exemplum pone rentur, non destitit omnipotens Deus fidelem servum suum miraculis post mortem glorificare, quem totiens in vita miraculosè consolatus fuerat. Insuper Sancta mater Ecclesia ejus præcipuis & salutiferis laboribus non ingrata, ipsum sanctorum catalogo ascripsit, canonizante eum Zacharia Papa in præsentia domini Frederici Imperatoris primi. Ejus testum agitur quinto Kallen, Februarii, eodem videlicet die transitus sui præfato. Hunc glorioissimum Imperatorem, et si tota Christianitas merito venerati debet, maximè tamen utraque Saxonia, id est Ostphalia & Westphalia: qyoniam à Thuringia usqve Istam, à Rheno usqve ad Albiam eliminato idololatriæ viio, tanquam verus Christi Apostolus intus ac per circuitum replevit eas Evangelio Christi. Qvod si Apostolos cæterosqve martyres ac confessores commendamus, qvi licet periculo corporis, levi tamen officio linguae fidem prædicarunt, non minus Carolum oportet sublimiter extollere, qvi millies animam posuit pro testamento Christi, corpus, animam, substantiam, filios, amicos, cognatos, patriam, regnum, & qvicqvid habuit, qvicqvid potuit, periculosisqve laboribus sollicitudinibusqve innumeris non parcens, omnia toto vitæ suæ spacio, expendit, impedit, & superimpedit, pro salute & animarum & gloria fidei exaltanda. Hunc patronum, hunc memorabilem virum, hunc magnificum Imperatorem in Domino laudemus, quem ita sublimavit divina munificentia, ut inter omnes catholicos principes nullus inveniatur, qvi ad ejus fastigia audeat aspirare.

Hoc tibi præconium contulit, ò Saxonia, deus omnipotens, & à nullo alio potueras supari, à nullo debueras emundari, informari, illustrari, ac in fide fundari & firmari, qvam à tali qvi universis præstabat potestate, puritate, pietate, nobilitate, fortitudine, scientia, religiositate, sapientia, & sanctitate. Nullum moveat, qvod post obitum sacrati principis nove clades surrexerunt, qvia hoc proprium Ecclesiæ est, ut in hoc mundo pressuram habeat. Pertinaces enim illi qvi cum Wedekyno fidem recipere noluerunt, ad Normannos & Danos, ac alios infideles redierunt, & gravissimas dissensiones seminarunt, odiqve antiqua renovantes, terras fidelium invaserunt longo tempore. Saxones qvoqve illi ultra Albiam disjuncti, cum Sarracenis vicinas sibi Christianorum terras vastarunt. Normanni Galliam supra modum affixerunt. Danifrisiam, & Trajectum, & alia loca propinqva ad solum deduxerunt, ecclesiis exustis. Tandem miserante Domino omnes ad fidem convertebantur, & Saxones jam fideles effecti Francos juvare ceperunt. Videntes namqve Coloniam, Treverim, & alias civitates Galliæ exustas, Rhenum transierunt, & fugato Rollo duce Normanorum, tandem ipsum ad obedientiam fidei compulerunt. Baptizatam autem filiam regis Franciæ Gyllam nomine, accepit uxorem, & sic tota Normannia convertitur. Post hæc Dacia, deinde Bohemia, ac demum Hungaria fidei gratiam suscepereunt.

Fertur qvoqve, qvod nonnulli de antiquis Saxonibus incredulis ad Sarmatas confugerunt, & usqve hodiæ Sameitæ dicantur, in sua duricia permanentes, ac quotidianie contra fideles pugnantates.

Hæc de pluribus pauca sufficient extracta, in qvibus large ostenditur, qvanta fuerat calamitas in diebus illis, & qvanta strages pro extirpatione idololatriæ & introductione fidei in terris nostris. Eodem tempore sicut mirabiliter crevit fides in his regionibus occiduis, sic miserabilitè fecit in partibus orientalibus, impia secta Mahometi nimis invalescente, & terras Christianorum devastante.

CAPVT XI.

*De institutione provida provinciæ quo ad utrumque statum, & legibus
ac juribus illic per Carolum traditis.*

SVNT nonnulli qvi putant sanctum principem Carolum nimis dure & inhumaniter populum Westphalicum gravasse, ac eis imposuisse leges acerrimas, qvos omnino errare pronuncio. Qvod ut clarius pateat, modum regiminis quantum repperi & ex parte vidi ut verisimiliter potero, breviter explicabo. Nequaquam enim credendum est, qvod sancti illi Pontifices, videlicet

videlicet Ludgerus primus episcopus Monasterius & Hatumarus primus episcopus Paderbornensis ceterique viri venerabiles quotidianis miraculis choruscantes hoc permisissent, ut advenae licet fideles sic gentem illam noviter conversam affligerent. Non habet hoc christiana pietas, quæ semper modestius administrat cultores suos quam paganismus. Hanc sententiam in libris Aug. de ciui. dei. (quos idem Carolus saepe ante se legi fecit) plenius vide. Nec tamen abnego, quin secundum prophetiam suprapositam ad tempus ibidem princeps aliqua durius egerit propter rebeles donec sibi perveniret victoria plena. Sic olim Scipio (ut Livius testatur) severius in Africanis bellis maluit perfectam victoriam, ut deinceps ubiorem subjectis praestaret gratiam. Habet enim hoc qvorundam nequitia, ut vieti obedientiam subdole victoribus promittant, rursumque insinuant, iterum & iterum ad manum redeant, ut sic fatigando expensas multiplicant, donec superiores, hoc est, victores fiant. Crebro id Carolus expertus, ut dictum est, terram purgavit, & semi-na vitæ cum multa prudentia & modestia plantavit.

Sunt enim in patria nostra sylvae magnæ & loca occulta, in quibus adversarii latitantes, post recessum sacri principis exierunt, & populum inermem ac simplicem reidololatrare coegerunt. Sed epulis aut deletis, tota terra ad ipsum respexit. Pacata igitur terra, ut dictum est, fidelibus viris quos secum duxerat regimen provinciae commisit, nec in aliquo maiores irrationaliter gravavit. Qvod autem eis solitam jurisdictionem ex parte subtraxit, optimam rationem habuit, quia translato sacerdotio & ritu gentili, necesse erat ut legis & rectorum translatio fieret. Qvis enim crederet illi hodie quem heri aut nudiustertius vidisset in idolatria conversantem? Maiores igitur, cum episcopis, & principibus, ac ceteris domicellis obedientiam praestarent, Rex ad sua redibat, bellaque contra Gothos & Sarracenos plurima constituerat. Vere digitus dei in omnibus cooperatur, & nunquam defuit per omnes illos, XLVII. annos quibus regnavit, quia continua in diversis terrarum partibus bella gesit summa felicitate. Sic prudenter, sic magnanimititer, sic hilariter, sic solerter & vigilanter omnia & singula ad ministravit (domino diversis miraculis cooperante) ut merito intuentibus in dubium venire possit, utrum in eo, aut laborum patientiam, aut felicitatem, aut animi constantiam, aut Angelorum praesentiam mirari potius conveniat. Crebro namque ipso absente beati spiritus tuebantur loca & castra quæ laboriose acquisierat.

Post hanc semel concordiam voluntarie & solemniter initam, deinceps nunquam repperi maiores nostros contra dominos suos seditionem suscitasse, sicut in quibusdam provinciis aliquando contigit, sed benevolenter & communiter secum habitasse. Cesset ergo querela qvorundam de Karolina sanctione, quasi inservitatem fædam sint redacti, quia deditio illa tam grata fuit, ut pro summa libertate computaretur. Si autem de post aliqua immutata sunt, non mirum censeatur, quia jam tempus magni effiuxit, & interim suprema imperia & regna, de stirpe in stirpem, degente in gentem, translata cernimus. Multa scimus dominia disjecta, multa de novo elevata, secundum solitum morem humanæ mutabilitatis. Dum omnium rerum sit quædam vicissitudo, Terentio teste. Jam enim. DCC. anni transierunt ex quo haec facta sunt. Scio quod loqvor, quia vidi multos de majoribus illis, quos alio nomine *cultos* (an scultos?) vocant, quanquam tamen uxores universaliter omnes *majorica* à nostratis nominentur, scio inquit eos egregias curias possidere, cum filiabus domicellarum connubia jungere, judicia exercere, non ex commissione, sed ex paterna traductione, redditus & servitia in pagis suis sicut ab antiquo, sic & nunc obtinere, aliisque ad status secularis honestatem pertinentia habere, ita ut de commutatione Christianæ Religionis conqueri omnino non possint. Si autem conqueri velint, dicant, quare ipsis illæ veteranae, & alia quæ dicta sunt, quare inquit relictæ, quare usque in praesens conservata sunt? Nonne ex Christiana pietate? Nonne omnia in manu sancti principis ac beatissimorum præsulium fuerunt? Nonne quos ejicere poterant, aut ejos prohibere ne redirent, rursum ad gratiam provocarunt, atque receperunt? Nonne qui ad fidem se sponte obtulerunt, velut socios & charifimos fratres habuerunt? Usque in praesens legales nosco viros, & ante tempora novi de genere majorum, in praesepuis civitatibus consules & proconsules, judices, cultos sive scultos gubernatores patriæ, altos comites, drossatos, reddituarios principum adeo ipsis familiares, ut vix inveniretur tertius eis proximorum. Discutiat cui placet, an ne, quoad secularem honestatem Christiana religio ipsis auxerit gloriam, an demserit. Qui olim unius pagis sive villæ dominium tenuere, deinceps & nunc in tota patria spectabiles sunt. Quid si quis dicat, non omnes tales esse, sed plures ærumnos & contemptibles, & nomen habere sine re, secundum illud quod dicitur in historia Caroli metrica.

Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit.

Respondeo. Nunquid tempore paganismi omnes æque felices erant? Nunquid & domicellis semper in pari gloria perseverarunt? An non quotidiane crescunt, & decrescent, & plures ad extremam pauperiem devenerunt? Et ut planius loqvar: Nunquid non & ipsa stirps Caroli vix ad centum annos tenuit imperium? Et de post fidelicet circa annum Domini millesimum, etiam de regno Franciæ fuit? Ob hanc tam crebram mutationem temporalium dominiorum ausus est dicitur Plato: Omnes servi ex regibus, & omnes reges ex servis ortum traxere. Hæc

Hæc breviter dixi, ut saltem stulte contra Westhalos loquenteribus ex aliqua parte responsum sit. Novi quendam de majoribus ante annos triginta, cui Dominus dedit plura, videlicet uxorem probam & virtuosam, honore abundantem, proles utriusque sexus multas, gratiam principum, de adversariis triumphum, divitias, delicias, sanitatem, pacem, aliaque similia. Hoc unum tamen non habuit, quod scilicet cum esset præ aliis prudens, quod & suam quoque felicitatem intellexisset. Nemo enim sua sorte contentus est, teste Horatio primo Sermonum. Si rursum objiciatur, quid de aliis inferioris gradus & minimæ fortis hominibus, qui (ut fertur) nimis infelices sunt, & gravi premuntur servitute. Dico quod sanctus Carolus illam non introduxit, ut supra tactum est. Prælatus quidam venerabilis mihi retulit, quod illa servitus longe ante eum ibi fuit, imo quantum datur intelligi, ipse eam mitigavit, certum modum eis imponendo, sicut olim Joseph in Ægypto fecit, præcipiensque principibus & domicellis, ne aliquid ultra ab eis extorquerent. Novi quendam de militaribus, qui dicere consuevit. Væ corporibus & animabus nostris, si unum ab eis violent obulum, recipiamus ultra quam nobis constitutum est. Sæpe audiri, nec unquam aliter vidi, quam hoc testamentum sacrum infringentes, pauperes scilicet opprimendo, eisque afflictionem apponendo, & ad amaritudinem vitam ipsorum perducendo, & dominio plagari, & sicut aliis fecissent, ita quoque & eis fieri. E contra eos qui secundum sacram scripturam contenti essent stipendiis suis, facientesque illis sicut vellent sibi fieri, a domino Deo benedictionem percipere, & tam fama quam rebus omnibus feliciter prosperari. Non est enim communitas propter Prælatos, sed prælati propter communitatem constituuntur. Neque aliunde habent superiores gloriam & emolummentum nisi a subjectis, & siccirco tenentur procurare bonum ipsorum fideliter omni tempore, & omni loco, a minimo usque ad maximum. Sicut enim est anima in corpore, sic debet esse rector in populo. Rectissime itaque legitur in sacris literis: Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se deprimebant, & abstulerunt labores eorum. Et clamor oppressorum ascendit in cælum, vindictam petens contra crudeles dominos, Ia super & sancti quijam cælo præsident, videntes testamentum suum prophani per discipulos, non parum adverstantur eis, sicut e contrario summam in modestis & bonis principibus oblationem accipiunt. Ethæc de secunda parte principalii hujus operis dicta sufficient. Seqvitur de tertia.

FINIS LIBRI SECUNDI.

R. P. WERNERI ROLEVINCK LARENSIS
ORDINIS CARTHUSIANI DE SITV ET MORIBVS
WESTPHALORVM.

LIBER TERTIVS

IN QVO AGITVR,

DE WESTPHALORVM APOSTOLATV, ET LEGATIONE: DE
LEGATORVM EGRESSIONE, EXEMPLIS ET FORTVNA, EX-
ERCITIIS, PATIENTIA: DE WESTPHALIÆ AFFINITATE, SANCTIS
ET RELIQVIIS, INSTITVTIONE, EXCVSATIONE: DE CON-
SERVANDO ANTIQVO JVRE, GRATITVDINE ET
CONCORDIA, GRATIIS EXHIBENDIS.

CAPVT I.

De Apostolatu Westphalorum per orbem.



SCRIPTVRVS de magna probitate Westphalorum, & bonis virtutibus quas faciunt per totum orbem terrarum, vix seio unde incipiunt, verum me cæteris conformato, a fidelitate juxta commune proverbium sumere placet exordium. Sic enim ab infanthia plures externos populos submurmurate audivi: O tu fidelis Westphale. Fateor quod non sum hujus tituli inventor, sed utinam sim humilis promulgator ac studiosus imitator. Non potest decipi facile eruditus mundus iste, qui longa experientia hoc testatur, & id ipsum quotidiana praxi renovat. Qvis namque ad sua secreta illum admitteret, quem aliquando repperit infidelem? Quorsum ibis lector candidissime, ubi non invenias Westphalos sudare in ardu-

in arduis negotiis, & præcipue in illis, qvæ ex fide aguntur? Tanta si qvidem Spiritus sancti gratia exilus effusa est super terram illam, ut postquam semel fidem perlegete suscepit, nunquam deinceps recidiva fuerit, neqve haeresium inventores, neqve Judæorum neqvissimi fautores, aliqui in orti legitur. Sive igitur fidelitas ad moralitatem, sive ad credulitatem referatur, in utraque gratia non minime reperies Westphaliam divina clementia favente dotatam. Hinc in opere materiali, hinc in prædicatione verbi Dei, hinc in studio litterarum, hinc in sacramentorum ministracione, hinc in exercitio claustral, hinc in gubernatione populari, cæterisqve probis moribus & auxiliis proximo impendendis, quasi qvendam Apostolatum accepit per otrem, veluti ei per prophetam efficacius sit dictum: Audi filia & vide & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Nullam scio provinciam hoc ita continue implesse, ut ipsam. Hinc (ut teor) contingit etiam illud impletum in natis ejus, licet non in pari gloria, ut in illis principibus Apostolis, tamen aliqualiter semper modulum ipsis competentem, quantum eis dominus donavit. Illud inqvm qvod idem propheta dicit. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quid mihi accidit veracire dico. Nunquam ita aliqua provincia fuit, ubi eos non reperiisse, & plures numero, & pene in omni statu, ultimos qvosdam, medios aliquos, extremos & qve nonnullos, & ad omnem dignitatis gradum eum honore patriæ & Christianorum gloria sublimatos. Qvot discurrentes per orbem evangelizantes pacem annunciantes bona? Qvot domi manentes parochiis subserviunt? Qvot animarum lucris inhiantes, clericorum vitam instituunt? Et qvamqvm nonnullis neqve vocis melodia, neqve sermonis suavitatis, præ aliis qvibusdam nationibus excellentius adsit, videbis tamen eos in cantu & sermonibus suauissimis tantam diligentiam ostendere, ut (qvod dictu mirum est) si nonconcordi symphonia autulta eloquentia, tamen ex mera simplicitate gratos sint.

Magna qvoqve fiducia nonnunqvm ipsis in animo est, tanqvm ea qvæ aliis è manibus a volunt, ipsis revocare aut perficere adamassim idonei sint. Circunduc lumina, & cernes hunc suggestum concendere, quasi in exilium & ultra Sauromatas via omnia fugaturum.

A divitibus luxum à lervis furta, à pauperibus lamenta, à plebe invidiam, a nobilibus superbium, à curialibus fraudem, à forensibus voluptatem, ab omnibus avaritiam propulsaturum. Cernes alium capitularibus rumoribus obstrepere, quasi prolapsas regulas famamqve cùm tempore. ralibus abeuntem, ad statum felicem reformaturum. Alium insuper monasticis disciplinis molestum fieri, atqve inclamare usqve ad minima inculpanda. Prorsus qvicqvid ad ecclesiasticum officium spectat, confidenter exeqvuntur. Hic in organis ludit, alter campanas pulsat, tertius per ecclesiam discurrendo luminaria curat, imagines locat, parietes ornat, pavimentum purgat, cæteraque ad placitum jucundissime disponit. Ne autem aliquid desit, qvartus sepulchra apperit, fætore ludore qve contempto, funera condit. Hæc cine sunt alia, qvam pietatis opera, qvibus collitur Deus, qvibus proximus adjuvatur?

Venendum est ad studia litterarum, si forte ob ea aliquo nostra Westphalia soleat natos fios transmittere. Hodie ipsa nniversitatem nullam habet, sed an in Christianitate sit aliqua Westphalarum expers, non facile dixerim. Insuper si aliqua facultas sit qvam aggredi paveant, omnino diffido. Hic profunda Theologia mysteria scrutatur, hic Canonibus, hic medicinalibus experimentis invigilat, hic artibus, hic poësi, hic chronicis, hic stellis numerandis, terris metendis, aqvis, aëri, ignibus, ætheri, provinciis, bestiis, hominibus, Angelis, cæterisqve creaturis à Deo factis cognoscendis studium impendit. Ut breviter dicam. Qvicqvid unqvm in notitiam hominum venire potuit, confidunt se apprehendere posse. Omnibus his qui bene utitur, scalam fibierit per qvam ad Dei cognitionem ascendit. Sic enim scriptum est. Delectasti me domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. In hac scala Angeli ascendunt, id est, viri fideles, nunc contemplationi pro viribus insistunt, nunc vero ad studium bonæ operationis se deponunt. Hæc Apostolica esse exercitia nemo dubitat, & qui hæc incunctanter agit imitator Apostolorum est, etiamsi miracula non facit, tamen mirabilia faciendo non simulatrix, sed verisimiliter contendit. Sic enim sententia sanctorum patrum habet: Si non facimus miracula, facimus faltem mirabilia. Nam de viro justo dicitur: Fecit mirabilia in vita sua. An parum mirabile est, qvod rudis iste populus qui extra patriam præter corpora nihil preciosum, affert, tanta gloria in plenisqve locis sublimatur, ut Senatoriae stirpi coæqvetur. Non hoc aliunde esse potest nisi à virtute qvæ imperat universis, cui serviunt omnia. Tolle hanc, contemptibilis res est homo bestiis. quod dexter. Habet autem hoc virtutis actus, ut suum operatorem gloriosum efficiat, & bonis gratum, perversisqve ac malis odibilem constituat. Hæbonitates licet apud alios sint, longe tamen apud Westphalos magis.

Jam de sacra Religione pene tacuisse, an videlicet in ea operarios Westphalos invenisssem, anvero præ aliis ipsis multiplicatos vidisssem. Facile persvasum hoc mihi est, qui teste experientia ultramedietatem qvinqve in uno cœnobio, vel ad tertiam partem in externa provincia reperi, & vicissim solito numero & fideli labore sibi succedunt. De magnis eleemosynis & fundationibus hospitalium, & in ecclesiis ac monasteriis extruendis ego qvoqve testis sum, quantum, fermeat, & fætida semper fuerit ipsorum devotio, sive ex paterna successione, sive aliunde temporalium abundantia arrisisset,

Domum

Demum subiectendum est, de humili obsequio quod pauperes ipsi faciunt talia non habentes, cuius exemplum est tale: Quædam mulier fuit, quæ ante aliquot annos in Hierusalem sedem peregrinorum vestimenta lavando. Hæc ex dieceesi Monasteriensi oriunda, illucque reversa pauperiem cum senectute hæreditavit.

Non dico hanc Helena sauctiorem, sed confidenter affirmo. Non mallem cum reginagloriose fretum transfertare, ac sacris in locis ecclesiæ fabricare. quam cum hac paupercula miserabile illud exilium tolerare. Hæc paupera de Apostolicis exercitiis sint dicta, ut qui majora potest, Deo gratias agat, qui vero nondum potest, ista ante oculos ponat, donec prima æmulatione instructus ad sublimiora concendet. Gratiora enim nobis exempla sunt, quæ paterna traductione veluti hæreditario jure ad nos perveniunt.

CAPVT II.

De legatione Westphalorum per orbem.

Hucusque quasi seriosius de statu Westphalia loquuti sumus, sed nunc more eutrapelorum aliquva solatioſa apponere placuit, quæ jocunde velut in orbe pro tædio sublevando narratur. Mos olim provinciarum fuit legationes per mundum de suis disponere, ut aut amicitias facere, aut renovare factas curarent. Hæc ad secularem statum pertinere videntur, in quo nostra Westphalia si quid perfecit benevolenter explicabo. Proverbium vulgi est, Prævium patetum excludit futurum litigium. Forum igitur hoc solatioſum deduci nolo in contentiosum, sed excludere volo tacitam opinionem, quæ hac serie cepit originem. Presbyter quidam in Ambone ut populum lætificaret, talem finxit parabolam, dicite mihi ait, quare Westphali sic dispersi sunt per orbem terrarum. Tacentibus illis, sibi ipsi respondit dicens. Audite, & ego vobis cautam redam. Aliqvando dum staret coram Domino sathan, quæsivit unde veniret. At ille cum se diceret circuisse terram, iterum ait Dominus. Considerasti ne populum Westphalorum, durum (ut sic tecum loqvar) & inconvertibilem, ac omnibus fidelibus molestum? Ait sathan, Confidravi, sed si mihi dares ipsum, amplius tibi molestus uon tieret. At Dominus, Do tibi ita tamen ut extra mundum ipsum ducas. Egressus sathan, latus & alacer magnum saccum præparavit, in quo omnes Westphalos ligans per aera volare cœpit, ut eos extra mundum transportaret. At illi suspicuum negotium sentientes, rauco murmure se cohortando, gravem molestiam ducti suscitarunt, ita ut in monte quodam præ laßitudine saccum deponeret. Terram igitur tangentes illico cœperunt disrupto sacco aufugere, ut nullus recordaretur sui proximi. Sicque factum est, ut per totum orbem dispergerentur. Redeunte autem sathan ad dominum, iucrepat eum dicens: Quid est quod facere voluisti? Ego tibi Westphalos dedi, ut ipsos exrra mundum duceres, & tu econtrario illos per totum orbem dispersisti. At ille: Domine inputes mihi. Tu nosti populum istum quod duræ cervicis sit, & neque me audire volunt. Ecce ego reddo eum tibi. In manus tuis est, utere eo ut libet &c. Hæc fabula si aliquid veritatis habere potuisset, non debetibus, sed de olim incredulis accipienda esset. Sed ego aliam causam reddo. Scriptum est. Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Cum ergo Westphalia genorosa sit, & plures gignat proles quam nutritre possit, conveniens est, ut cæteræ terræ in possessionem ei cedere debeant, donec sufficient pro nutrimento earundem. Merito igitur legatos suos in orbem mittit, ut consulendo & operando suas hæreditates expediatur, ne torpore aut ignavia incolarum marcescant.

Hi autem legati sunt in triplici differentia, videlicet *opulenti, mediocres, & pauperes*. Primi sunt qui delicate nutriti, secum extra patriam refertos ferunt auro loculos, de quibus nihil magnificum ut loqvar, sermo ministrat. Non enim mirum est, si tales crescent in sublime, quamquam plures eorum maneant (ut vulgo dicitur) Johannes in eodem, aut de die in diem fiant viiores parentibus suis. Secundo similiter crebro impediuntur, cum sint celsiores custodibus, & pastibus breviores: Languent namque inter supremos & infirmos. Attingere illos non possunt, imitari istos erubescunt. Et quia obsequi displicet dum tempus est, sua consumentes, deinceps miseri & infelices remanent. Quod si fortuna indebita quid attulerit, rursum calenti stomacho tradunt, quijam dudum molares, faxeasque domos digerere assuevit, & sic in miseram relabuntur pristinam. Ab his ergo matutinis' Domini ac servis vespertinis Westphalia gloriam non habet cum ipsi dedecus sint patriæ: tametsi prima ipsis decus sit.

Sed nunc de aliis loquimur, quos prima suis moribus examinat, ac velut ignis aurum probat, quatenus exacuti spectabilem ipsam constituant. His sunt quibus prospera nulla concomitantur, parum aut nihil præter corpora habentes, aut si quid possident, velut non possidentes se putant. Hos solemnies legatos dixerim, quibus sola virtus in animo est: Eo gloriores, quod non alienis laboribus sed Apostoli exemplo suis manibus transigunt vitam.

Quartum

Quartum autem ipsorum videre placeat, & qvalem concludant in orbe finem. Est ipsis in-
cunabulis agreste tugurium, mox in pecore pascendo versatur infantile primordium, obduratas
glebas planta calcant, tenera membra canabina vestis cingit, horrendus panis famem cum prisana
pellit. Supellex domus hæc est. Lecti aut nulli: aut straminei, aut fœno duriores, linum crudum,
five pantus hispidus pro vestitu, cacabus, olla, scutella, cochlear, scyphus, patella, tinna, sporta,
spinda, cista, cæteraque aut singula, aut pauca, & omni usui accommodata. Est unica hauriendis
aquis urna deputata, sic lavandis pedibus parata, sicut præparandis elcis quotidiana. Capitis
teus esset qvi observantiis (ut sic dicam) his, in aliquo obviaret. Hæc est prima institutio lega-
torum vestrorum. Deinde cum solidata membra quinquevenium transierit, velut ocio priori ab-
jecto, ad fortia manum mittunt, aratra, plaustra, rhabdas ducunt, frumenta purgant, simum ex-
portant, & quicquid virile robur spectat, inchoare festinant.

Si aut ad scholas fors eos miserit, vacuis manibus abeuntis ipsi valedicunt parentibus, &
mirabili prætlica, nunc laborando, nunc studendo, nedum divitibus æque comparantur, sed
crebro præcellunt. Videres rem jucundam in puerili atate, quomodo in exordio veris saccos
dorso imponant, ostiatim cantantes patria voce, Domine Sancte Petre, infla in cornu tuum, &
reliqua: & hoc pro frugibus colligendis, quasi serendi opportunitas eos angariet. Rursum illis
abjedis spora resumunt rotundas, quas kyppas vulgo vocant, villas vicosque rusticanos cir-
culti, ut ova ovantes congregent, sic modulando: Surgite bona fœmina, date nobis ova,
& cetera. Hoc quid aliud est nisi sollicitudo futurae solennitatis, quæ non rite colitur absqve ovo-
rum apparatu.

Succedit tandem autumnus, in quo ad rura confluent, spicas post terga metentium legen-
do, ut contra hyemis asperitatem de victualibus sint provisi. Agit hæc sagax & industria natura
sibi adhuc ignota, futurorum autem instar formicæ prænuncia, quasi ipso facto dicat: Dum plus
potero, etiam amplius & exactius laborabo.

Quantæ vero specimen probitatis emineat in bonis pueris, ex hoc perpenditur, quod pau-
perculis parentibus si tanta necessitas est, ex toto deliberant omnem quod aut mendicando aut la-
borando conqvirunt, denuo ab eis formidolosius quæsturi, quibus egent, quam ab alienis.
Nonnulli quoque quos illa conditio urget, ter quaterque venundantur, nescientes quis primum
eos per collum arripiat, & in carcerem mittat, donec se redimant, aut fidejussores ponant, ne
in terra diffugiant. Et licet quibusdam mechanicis aliquanto meliuscule sit quam istis, omnes ta-
men una necessitudinis meticulosa catena percellit, paventes ne gravius egestas senectam op-
primat in locis non quæstuosis, ubi cessante facultate laborandi, qui nihil habet, nihil lucrari
juste poterit.

CAPVT III.

De modo egressionis legatorum horum.

Gratulabundus olim regius Propheta, memor duræ captivitatis antiquorum, cecinit dicens:
In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro. Est aliqua similitudo nostro-
rum legatorum ad populum Israel, quo ad egressionis formam. Olim Ægyptii sustinere
non poterant Hebræos servos, & tamen cum summæ pertinacia eos retinebant. Sancti
Prophetæ ipsos docebant quomodo egredientur, & qualiter se gerere deberent in terra quam in-
traturi erant.

Pariformiter nostri parentes docuere nos & exulem patriam relinqvere, & aliis provinci-
is per venustos mores felicitatem haurire. Peracto igitur noviciatu læsivo qui jam in naturam
versus fuerat, cum jam XII. annus impleretur, ex tunc & deinceps præparabamus, ut ad
mysterium legationis mitteremur. Fateor me in patria non debite, sed delicate institutum, &
iccirco nullas mihi fortuna vices foris retribuit. Proinde gloriam in illos transfero, qui merue-
runt, ego verbis informatus verba reddo. Convenerunt erga parentes, filium quem mittere
decreverunt, & hunc aut similem *exhortandi modum accipiunt*: Ecce dilecti fili, sic & sic, ut vi-
des, continua nos miseria & sollicitudo affligit. Parum habemus, paucis sustentamur, undique
vicini fame cruciantur, tibi quod facere potuimus nosti, si quando vel unum diem delitosum
expedimus, tecum perqvire. Audivimus in aliis provinciis gloriam, divitias, delicias, dominia,
prælaturas, cathedras magistrales, honores populares, famulatus quæstuales abundare, qua-
les nec vidimus neque hic adipisci valebimus. Si tibi hæc placent egredere, & fac medietatem la-
borum istorum, & felix eris. Esto legalis & probus, fidelis ac constans, obsequiosus & volun-
tarius, diligens & alacer. Habe os facetum & mundas manus, sic poteris perambulare regio-
nes universas. Deum time, & dilectam matrem ejus beatissimam virginem Mariam venerare.
Angelum tuum sanctum & apostolum, ac omnes sanctos præ oculis habe, & quocunque veneris
sicut te gero, ut non scandalum, sed honorem & profectum sentiamus quia in filiorum gloria pa-
rentum

rentum quoque & patriæ laus splendidius elucceſſit. Jam de aliis multa exempla probibatis audi-
mus, & de te auxiliante Deo id ipsum speramus, Annuente filio, eum dimittunt absque lachry-
mis, precantes fausta, simulque, ut si creverit, memor sit pauperum amicorum suorum Non
nulli vero quibus phalera sermonum deest, simpliciter fantur ad ipsum dicentes, Vade in nomi-
ne domini nostri Jesu Christi, noster dilectus Deus custodiat te & deducat semper. Sic dimissus ba-
culum viridem de indagine arripiens pergit, neſcius ubi non dico ultimam, sed saltē primam
noctem sit habiturus. Nemo facile hanc legationem contemnat, nemo subsannet, quorum (ut
ſepe audivi) & aliquaque propriis oculis vidi, non leve mysterium in ea latet. Egrediuntur pannos,
futuri gloriosi, ſlipem quārentes, ſed maximas largituri Eleemosynas. Pedibus terram calcant,
magnos caballos eqvitaturi, inter ſuos non reputati, ſed palatia diſpoſituri, urbes, provincias,
populos gubernaturi, beneficia, promotiones, honores ſucepturi, atque donaturi. Egredi-
mini puellulae de cubilibus, innectite crines, capita ornate, vestrī ſponsis occurrite. Nolite eos
conſiderare quod fulci ſint, quorum dum pecora paverunt, decoloravit eos ſol. Hispidos ne-
ſpiciatis, quia ferrum non ascendit ſuper capita ipsorum. Parumper expectate, ſubito in alios
viros mutabuntur. Et quos forte nec aſpicere hodie placet, ſuo tempore votis omnibus ad mari-
talem complexum reqviretiſ. In mentem veniat sanctus patriarcha Joseph, quem longa ſervitus
vilem exhibuit, una hora in ſublime tulit. Hic nec unius ancillæ contubernio dignus putabatur,
qui tamen filiam nobilissimi ſacerdotis in conjugem accepit. Facile enim eſt in conſpectu Domini
honestare pauperem. Surgite principes, & cancellarii, ſecretarii, reddituarii, conſilia-
rii, cubicularii, dapiferi, pincerni, officiariis que totius ſubſtantia vestræ gratioſos vos exhi-
bete, ut cum corpora vestra, & apparatum gloriae in ſua potestate habuerint, fideles vobis per-
maneant, & ex animo ad ſublimiora perducant. Hi ſunt quorum conſilio multa facietis,
quorum fideli ſagacitatē vestrorum ſecreta cordium committetis. Properate in
occurſum Prælati ſpectabiles cooperatōribus vestris, quos ut propriaſ animaſ ob gratum
obſeqvium diligetiſ, ut vobis in dignitatibus propter bona virtutes ſuccedant. Aperiſte portas
incliati cives, ut vestri conſules ac futuri rectores introeant. Non vos ſtridor ille ferratorum cal-
ceamentorum deterreat! non eloqviſ ſimplicitas in dubitationem adducat. Mementote quod me-
morabilis Portinaris ille ſancivit, qui ante aliquot annos multa experientia edoctus, hanc poſteris
ſententiam reliquit. Hic enim velut divinæ providentiae alludens, ſtatiuſ cum aliquen de hiſ hu-
milibus legatis intrantem videret, venerabiliter occurrit, & manu deposito capitio poſtulans
dicebat. Gratulor adventui tuo, mi dilecto domine Burgemagister. At ille rubore perfulſ; ſi-
que respondens, quare clientulum pauperem deriſiſſet, iterum ajebat: Non te derideo, ſed
quod futurum eſt nuncio. Solet namque divina clementia mites & humiles ex altare, & ex inſpe-
rato divitias & gloriam ejus cumulare. Hoc tamen non magni pendendum eſt, cum dominus
dicat: Fili recepiſti bona in vita tua, ſed in ordine ad bonum operandum, ex donis Dei ſicut in pra-
dicto Joseph, & aliis multis Sanctis legimus. Freqventer expertus ſum iſtud in legatis noſtriſ quā
prompti ad divinum cultum ampliandum fuere, & quā ſeduli in eleemosynis largiendis. Scio
quid loqvor. Ante annos. XII. cujusdam venerabilis vii de ſorte hac familiaritatē habui,
quem (aſſumto ſermone qui ad hoc aptus videbatur) pauculis exhortationibus provocavi, ut in
quodam cœnobio, tum in ſtructuris, tum in proventibus, & aliis quā ad gloriam domus Dei
ſpectant, ad duo milia & quingentoſ fiorenos expenderet. Alium adhuc ſuperſitem noſco, qui
quotidie de donis ſibi à Deo datis decimas ſoluit, cum multa devotione, & quicquid ſibi de mer-
cantiis (ut ſic vulgo loqvar) ex lucro venit, decimam partem ad opera pietatis deputat. Inſu-
per ad iſtū meum promptus fuī ad duo millia fiorenorum, ut divinum honorem in quodam
monaſterio promoveret. Tertium aequo novi Prælatum magnum, multis honoribus ſtipatum,
cujuſ notitiam tempore ariditatis primævæ habui, quem vix decem verbiſ attraxi ut cuidam bo-
næ voluntatis adolescenti præbendam largiretur. Et uſque in præſens plures chariſſimos mihi &
aliis habeo, quos rogare amplius pertimesco quā non exaudiri. Diligo enim eos qui legatione
ſua honeste perfruuntur, & eam perducunt ad virtutum titulos. Hæc pauca ē vicino plus ſuper-
fluu quā neceſſario commemoravi, respondens quod divina providentia nomen ſuum glorificat
adhuc, per hujus mundi abjecta, quare etiam ex conſequenti, ſepe dicta legatio magna mysteria
in ſeipſa habet abſcondita. Habeantur ergo in honore legati iſti & amore, quia neſciit quid per
eos Deus facturus eſt in orbem terrarum. Quos hodie deſpicimus, aliquando mirabimur.

CAPVT IV.

*De quibusdam exemplis, & varia fortuna legato-
rum iſtorum.*

Post olim duram illam ſententiam quā noſtri parentes protoplasti à decreto divinæ iuſtitiae ac-
cepereunt, quatenus in ſudore vultus ſui velcerentur pane quotidiano, rurſum ſcintilla clemen-
tiae emi-

emicuit, docens per industriam necessariae conquirere in iuventute, ut deinceps pro merito eternae vitae cumulando, compendiosius sacro vacarent ocio. Dicitur autem hoc ocium non simpliciter, sed respectu manualium laborum, qui foris per corporis membra exercentur. Alioquin potius dicendum esset negocium, quasi negans ocium, secundum illud Augusti. Amicis hujus saeculi nihil laboriosius est, quam non labore. Tendit ergo hoc negocium ad tria honorabilia exercita, videlicet mysterium orationis, studium lectionis, & sollicitudinem praelectionis. Qui his tribus non insistit aut aliquo istorum cum suis attinentiis, ejus ocium vituperabile est. Anhelant alii plurimi, licet pauci ad hujusmodi apti reperiantur. Verum quos ratio cohibet, fors juvat, immo gratia supplet, quod natura minus habet. Qui autem in decreto laborum prefato manent, usque in senectam, nonnunquam securius vivunt. Quanto enim aliqua res nobilior & preciosior est, tanto majori periculo subjacet, & ampliori cura opus habet. Quam varie autem in his providentia nostros legatos dirigat, jam ex parte dictum est, sed nunc quædam insperata exempla apponere placet.

Generosus dominus Ludolphus de Stenvordia devota peregrinatione completa ad terram fustam, cum rediret, Venetas (ut fertur) applicuit. Circumspiciens autem per plateas, videt clypeum pendente ante domum cuiusdam civis armis suis insignitum. Admirans ergo dixit proceribus suis quos in comitatu habuit: Huc introeamus, quia arma nostra haec sunt. Suscepimus hilariter & egregie tractatus, post epulas urbanæ alloquitur patrem familias, quem propter statutus magnitudinem ratus est illum fuisse, dicens: Unde tibi venerande domine arma haec? At ille docens eum in cubiculum seorsum secreto dixit illi: Inclite Domine mihi, rem grandem sub fide aperto tibi, sed tu quodcave ne abutaris ea. Ego sum natus in patria tua, & servus proprius tibi sum. Compulsus vero propter penuriam Westphalia & comitatu tuo exivi, quodcave velum divertendo. Tandem dives effectus huc veni, & inter primores ascriptus, gloria & divitias affuo. Quod si haec in medium producere volneris, & me ad causam ponere, ecce nunc praedicti tibi, quod caput tuum amputabitur secundum plebiscitum hujus civitatis, quia omnis talis velud de criminis læsa honorabilitatis reus tenetur. Si autem hanc mihi gratiam præstare volueris, ut diceres me tibi affinitate conjunctum, suprema mibi gloria foret, & ego cum honore ac statu decenti te traducerem. Promittit Dominus, subito servilis conditio nis homo clarescit, & splendide convivantibus nobilibus, hinc & inde, cum munusculis & solemnitate qualdeciuit, Velut affinis affinem prosequitur. Habet hoc Venetorum provide celstudo, quæ longe lateque dominatur, Romanorum ab olim plus virtutem quam sanguinem colat. Qvicunque enim legalem & inclitum se probat, hunc facile in suum consortium recipiunt, sive claram sive obscuram a parentibus trahat originem, quia ut vulgo allegatur: Nobilis est vere quem nobilitat sua virtus. Nihil pene penitus arbitratur antiquitas quod veritatem ingenii vacat, & proposito reipublice augenda non fulget. Simile hujus vidi oculis ipse meis in quadam nobili civitate, de quodam egregio Westphalone. Quin ingressus cum pauculis argenteis, per varia servitia discurrens, tandem mercibus vendendis & emendis industriose animum applicuit, & ita fortuna arridente profecit, ut præclariores domos ejusdem urbis possideret. Duces vero & comites, ceteraque totius provinciæ principes gudebant ejus perfrui contubernio. Quantas grates reddidisset, si quis ei vel decimam partem horum in primo egressu promisisset. Dilexi virum, & præsertim propter devotam (ut sic dicam) lenitatem qua pollebat, eleemosynis largiter vacans, ecclesiæ ædificans, monasteria sustentans, velles sacras, ceteraque clenodia cum redditibus instituens. Quantas videlicet lacrymas compunctione fusas, humiliter deplorantis quod plus temporalibus coacervandis vacasset, quam necesse sibi acquisi prolibus videretur. In extrema infirmitate jacens, studiose Capellannm suum requisivit, dicens: Datur etiam pauperibus? vix loqui plura valens.

Quo approbante quæsitus, laetior ipse dominus apparavit. Obiit tandem senectute bona, plenus dierum, divitiis, gloria, beatam mercedem a patre misericordiarum, ut pie confidimus, perpetuo recepturus.

Ceterum sicut hi, & proculdubio mille alii ex iusperato ad magna in magnis civitatibus sunt promoti, si nonnulli in asperrimis locis, etiam super abruptissimas petras, non sine administratione repertisunt. Audivi in quadam relatione habita coram reverendissimo Domino Theodorico Archiepiscopo (a) Coloniensi, quasi pro solatio referri, à quodam venerabili patre & religioso viro de Onna oriundo, quæ seqvuntur. Miror, inquit, de dispersione nostrationum per orbem, ac variâ fortuna ipsorum. Nam & ego in diversis mundi partibus fui, & eos ubique inveni. Præcipue tamen de quodam vehementer stupui, quem in altissima quadam rupe maritima depræbenidi. Et mox subjecit: Nam vagantibus nobis per fretum ilud longum, quod inter Angliam & Norvegiam atque Saxoniam tendit, coacti fuimus post montes petreos latitare, pro eo quod venti essent nobis contrarii. Ego autem cum nihil suspicarer ibi Christianitatis nec aliqvid humanum solatium fore, audivi inter se naucleros submurmurare qui dicenter: Vbi hospitabimur?

Statim

LII 1 2

(a) Hic mortuus anno 1463.

Statim alii responderunt. Apud Westphalonem. Dux ego, quis est ille? Ajunt, Videbis. Egressientes ergo de navibus ascendendo, pervenimus ad casulam ipsius. Suscepit nos latenter quippe cui nostrum diffortunium esset quæstus optimus, & ideo quicquid potuit hilariter exhibuit. Demum interrogans cum admiratione, an Westphalus esset, & quomodo illuc venisset, & quid ageret, aut unde viveret? Ad omnia respondit dicens: Ego velstras sum natus de Borken Monasteriensis diocesis, huc veni nescio qualiter, hospitium nautis teneo, & quod ab eis percipio inde vivo. Expleto autem tempore aliquo recessimus illinc, ipsum illic relinquentes. Noluit enim nobiscum redire in patriam. Verum, quia simile huic vidi, nihil non desino usque in præsens admirari peregrinam Westphalorum fortunam. Fixum deinceps apud me fuit omnes habitantes latebras cunctasque fortunæ vices Westphalos experiri. Quis namque illa deserta rupe, fassissima unda circumfusa (ad quam nemo nisi invitus accedit) non potius fame mori extimesceret, quam viætus necessaria conquirere? Hæc qui faceret sincere propter deum & proximi consolationem, opus utique esse magni meriti. Si quis autem simplici intuitu sic degeret, nihilominus occasionem præstaret multa mala declinandi. Crebro enim contingit ut qui inter seculares vivunt, etiam seculariter le instituant, & dum vicinis displicere nolunt, timorem dei nonnunquam incaute negligant.

Post ista quæ aliunde adduxi, nunc quid acciderit paucis adjiciam. Extra patriam vectus, in quodam solemani loco steti, duos ibi Westphalones contemplatus, animo suspensus dijudicare tentavi, sed in ipso judicio defeci. Vnus dives qui structuram preciosam ibi erexit, alter inops qui ex officio funus ibidem sepelivit. Narravit ille de multis florenis, de panno precioso, de edulis o. pipare coctis, speciebus, foderaturis, ac similibus quæ mortales prima ducunt. Iste autem (quem admodum fabri fabrilia tractant) de fœtoribus quos sustinere solebat in fossis aperiendis. Dux ego ei: Unde es amice? Ait quasi verecunde subridens: Ego sum de Altanae. Intellexi postea quod verisimiliter hic pauper in egressione locupletior extitit divite illo, sed fortunam longe dissimilorem in prosequutione vidimus.

Vt dixi, hæc discutere cœpi, cur sic ista fiant, sed usque in præsens non sufficio. Sicas, Dives ille cautor in principio fuit, pusillos degustans pisciculos, donec ad grandiores pervenire. Respondeo.

Potest quidem sic esse, sed nulla signa lauticie in illo paupere consideravi. Si dicas: dives subtilior fuit. Respondeo iterum, potest sic esse, sed unum scio, quod satis grossus forinsecus apparebat, & cum quodam socio suo satis concordabat, qui crebro quasi solati gratia dicere convevit, Westphalones quanto sunt grossiores, tanto & nobiliores. Hoc forte aliquid veritatis habet, sicut de sancto Job in Biblia legitur. Erat vir simplex & rectus.

Sed mea quæstio nondum solvit, cum uterque esset ejusdem conditionis. Omnia ergo hæc illi summo dispensatori committere satius est, qui hunc humiliat, hunc exaltat. Qui elevat de stercore pauperem, ut cum principibus solium gloriae teneat, & dejicit de excelso sublimem, ut se cognoscere assuecat. Omnia proinde judicia ejus quæ semper recta sunt & vera, (licet nobis occulta) venerari magis oportet quam discutere, & ita in omnibus agere, sive sic sive aliter nobis proveniat, ut ejus benedictam voluntatem per singula studeamus implere, quatenus feliciter experiri, mereamur, quod Apostolus dicit. Scimus quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Et illud cujusdam sapientis: Nihil sub sole fit sine causa.

CAPVT V.

De exercitiis legatorum horum.

IVCUNDUM EST PATERNOS MORES RECOLERE, & EOS PRÆCIPUE QUI IN SUBLIME TENDUNT. MIRUM FORFATÆ QUIBUS DAM VIDEBITUR, CUR HOC MUNERE WESTPHALI FREQVENTER GAUDEANT, UT PRÆTER PEM AD ALTA PROVEHANTUR. HIC ATTENDANT PIA CORDA, & DIVINAM CLEMENTIAM ADMIRANDO VENERENTUR, QUI DE STERCORE ELEVAT PAUPERES, & CONSOLATUR DESOLATOS. Datur PRÆCELLENS AUTORITAS IN ORBE HIS, QUI IPSA VITA PUTANTUR INDIGNI: & PRÆCIPIUNT INGENUIS, QUI AD SERVIENDUM FUERUNT INSTITUTI. Sed QUOMODO OLIM ASSYRII. MEDI, PERSE, GRÆCI & ROMANI, SUCCESIVE DOMINIUM IN ORBE MULTO LABORE ACQVISIERUNT, ITA & ISTI IN ORBE PROFICIUNT, NON TAMEN VIOLENIA, SED BENEVOLENTIA: NON COACTI-
ONE: SED PROVOCATIONE: NON ARROGATIONE: SED PATIENTIA. HÆC EST ENIMILLA NOBILIS ANTIQUA & LE-
NILIS SENTENTIA, QUAM SALUSTIO TESTE, MICIPSA REX NUMIDIÆ IN SUO TESTAMENTO FILII SUIS & JUGUTÆ
RELIQUIT, DICENS. AMICI QUOS NEQUE ARMIS COGERE, NEQUE AURO PARERE QUEAS, OFFICIO & FIDE PARINTUR. ET
ROMANA SANCTIO IN IDEM CONFLUIT, MALE VIDELICER HABERE AMICOS QUIBUS SERVANT, QUAM SUBJECTOS
QUIBUS IMPERENT. ET OMNIBUS SOCIIS suis AC REGIBUS ROMANI CONSULUERUNT, UT SUAM MAGIS AMICITI-
AM, QUAM ARMA EXPERIRI STUDERENT. PULCHRA VERBA DICTUQUE FACILIA, PRAXIS AUTEM RARA.
REVOLVE ALILOQVIAILLA MAGNORUM ELOQVIA, PULCHERRIMASQUE DE VIRTUTUM EXERCITIIS DOCTRINAS, &
INVENIENS FOEDUM ATQUE INFÄUSTUM FINEM. NON TE LIVII FALLAT AUCTORITAS, NON FLORI SENTENTIA,
QUOD

qvod tempore pauperitatis nusquam alter locus Roma sanctior, nec bonis exemplis ditior. Et quanto rerum minus habuit, tanto minus cupiditatis habebat. Qvoniā ut iidem ipsi testantur, divitiae & nimia rerum abundantia ipsam corruerunt, & dolos, luxuriam, avariciam, cæteraque vita, maxime superbiam ambitionemque induxerunt. Contraxerunt etiam ab universo mundo tantam invidiam, & inter se discordiam, ut in bello hostes, in pace cives occiderent, unusqve alium mirabiliter trucidaret. Sicqve factum est, ut proprias sententias transgrederentur, & paulatim favorem populi, cum orbis dominio perderent. At longe aliter nostris legatis animus est, qvippe qui non armis, neqve divitiis, aut fortunæ arrisu nituntur, sed fidei obsequio, virtutique cuiomnia parent, Salustio etiam teste, & noverunt Aristotelis documento. *Neminem repente fieri summum.* Hoc etiam uno ceteris qvodammodo hominibus præstant Westphali, qvod ante tempus debitum nunquam dominia expetant. Non imitantur Phaethontem, non Icarum, non Marsiam, de qvibus Poëtæ. Omni carent petulantia, patientia roborantur, & hæc sola herba tanquam ambrosia vescuntur, & labore durissimo sudoribusque in terram sæpe defluentibus, non minus quam neçtare delectantur. Habet enim hoc benevolia conversatio, ut plurimos in gratiam sui trahat, & dum cunctis prodesse cupit, facile proximuni sibi reservire cogat. Mirantur ergo nonnulli præfatos Romanorum monarchas grandia fecisse, triumphosque ipsorum in sublimetollunt. *Ego autem miror amplius* hunc agrestem populum sic in orbe peregrinari, proficere, crescere, & in omni statu perpetua gratitudine canescere. Et de his loqvi aliquanto iucundius est. qvodres insperata videtur. Egreditur ergo legatus noster forma qvæ supra, urbem aliquam ingressus, vel castrum aut villam, aut aliquod hujusmodi extra patriam domicilium, nihil secum defens inostar Apostolorum Christi, qvod eum promoveat præter solam voluntatem obsequendi. Occurrit ei nescioqvis, & intuens habitum, considerat cujas sit, & compassione motus juvat ipsum, usicubi ad aridum panem promerendum suscipiat. Ingreditur fortasse domum alicujus divitiae, spondet obsequium, laborare fideliter promittit: qvicqvid jubetur facere tentat, ad omnia voluntarius, nullorum laborum fugitans, minimus in domo, subjectus, & nemini non obsequiosus. Discurrit hinc inde, plus promptus initio quam utilis. Arcadicus sæpe, & ita rudis ut aquam deferre nequeant manibus. Omnia qvæ insolita videt, sua vulgari lingua nominat, cunctis peregrinum vocabulum imponit. Si crateram argenteam cernit, vocat eam scutellam ferream, si vinum Creticum bibt, coactam ex sicubus aquam putat. Lardum libentius quam perdices comedit, etiam etiam si, 50. annis perpendisset in camino. Foderaturas varias & preciosas pelles, mutilegorum autumat. Depictum in pariete leonem ridens ait, quam longam caudam habet illecanis. Jussus à domino hæc aut illa facere, qvæ nondum didicit, ridiculosa pertentat, cachinnum omnibus suscitat, perqvirit linteum, cibrare pocula gestit. Si tornatiles manuales afferre mandatur, rudem defert afferem, secandis caulis aptatum. Si forpicem pro barba corruganda dominus petit, ad stabulum currit, tonsorium eqvorum afferens. Novi qvendam ita simplicem, ut increpatus, qvare pellicium maculatum non lavisset, illico ad puteum properasse pro aqua haurienda. His & similibus ineptis irretitus, domum totam, vicinos hospites, aliosque occurrentes lætitificat, singuli novam grossitiem jocunde admirantes. Non potest dominus jam gratam facere cœnam, non absqve eo pransum ire. Circumducit oculos, vocat quem diligit animalia. Qvod si præsto non est, ait: *Adsit grossulus*, disponat singula nobis. Inter hæc obliviscitur domina mœroris sui, adolescentem afficitur, & eum velut idolum coleret tentat. Vestis mutatur, coma tonditur, caput in gyro raditur, mores mutantur, increpat, obsecrat, verberat, informat, coartat, mandat cum omni imperio, si forte aliquid honestatis imprimere possit huic rusticano homini, cui plus prodest sancta simplicitas quam cæteris simulata & latens sagacitas. Qvod fires ex fausto agitur, statim proficit, & paulatim rusticitate abjecta civilibus ornat moribus vitam. Cultrinistar core acuitur.

Fidele qvoque servitum prudenter continuat, libenter exeqvitur ac tandem perficit, donec cunctis sibi traditis, exemplo Joseph creditam sibi jubernet domum. Hæc suprema fides est prima victoria quam legati nostri patrant in orbe, qvando dominus vix aliquid scit, de his qvæ possidet, excepto pane quo vescitur.

Sequitur dehinc cura illa grandis, qvando fidelis & prudens servus constituitur super omnia bona domini sui, cum autoritate, ut possit dare & recipere, emere & vendere, alienare & revocare, absqve illius contradictione. Huic annexatur regula illa Patriarchalis, de qua sanctus Jacob testificans de leipso dicit.

Die noctuqve æstu urebar & gelu. Fugiebat somnus ab oculis meis. Sic per viginti annos servivi, &c. De tali tetricum hoc habemus proverbium: Sine mercede qvod bene facis, non manebit. Nam si homines negligunt, Deus supplet: ut in eodem Jacob patet, qui etiam filias domini sui in conjugium duxit. Simile contigit freqventer legatis nostris. Deus bone quam mirabilia sunt opera tua in universa terra! Qvod scimus provincias in qvibus accurate instituuntur puperi, solicite mittuntur foras, commendatitias literas cum promotionibus amicorum secum ferunt, & tamen ad mensuram grossiolorum istorum, sed Westphalorum raro pertingunt. Delectat me his parvum exemplum inscrere.

Ante annos viginti, cum dicessem Monasteriem intestinum bellum corriperet, multi vites in pauperiem redacti, vicinas provincias petivere. Venit inter alios ad me sororius germanus mei, adolescens pulcher & facetus, castitate & probitate conspicuus, paucos secum aureos portans. Extenuati enim parentes fuerant, & ob hoc filium legarunt in orbem. Servivit ergo primo apud quendam probum dominum, sed inopem, ita fideliter, ut plures Prælati magni certatim cuperent ejus obsequio fulciri. Considerans autem, quod duo miseri pariunt unum infelicem, & quod in civili profectu oporteat hominem ad minus aut solvendo esse, aut lucrosum, applicui eum ad talem, ubi statim crevit in sublime fastigium. Habui ingratitudinem ab uno, & grates magnas ab alio. Rediens quoque ad me, conquestus de patria nostra fui, sed ipse subito intulit: bellum mihi bonum fecit, non vellem me feliciorem optare. Jam enim nihil à domino differebat, nisi solo præstationis titulo. Sic se mutuo dilexerant, ut omnia essent eis communia. Sed sæva mors eum absulit diuturniore vita dignissimum. Tristatur dominus usque ad animam, publice obtestans, pro omnium fratrum suorum obitu non sic posse se destitui. Nulla igitur gaza, nulla arma hoc unquam potuere, quod sincera dilectio, & labor officiosus.

CAPVT VI.

De multiplice patientia legatorum istorum.

Experientia felici didicimus in sanctis martyribus nostris, quod patientia pauperum non peribit in finem. Et hæc etiam consideratio aliquatenus extendi potest ad præfatos emissarios, quorum major pars vitæ continuum martyrium est. Vnde bene est eis favendum, si post tam diuturnos & fideles labores, aliquid gloriae vel divitiarum hauserint in senecta, quia hæc reguladivitatis est, dicente scriptura: *Coram cano capite surge, & honora vultum sutoris.* Et iterum: *Dignus est operarius mercede sua.*

Hujus exemplum vidi in quodam canonico cuiusdam metropolitanæ Ecclesiæ, qui tempore juventutis humillime servivit usque ad virilem ætatem, sed deinceps in deliciis & gloria fuit cum omni sobrietate & honestate. Aliqando in mensa ejus fui, & usque hodie memor sum bonarum doctrinarum, quas ab eo accepi. Dixit enim inter cætera: Chare mi, ego non habeo, neque ex divitiis, neque ex nobilitate quicquam, sed dilectus dominus Deus providit mihi, quod in hascollempni ecclesia ad canonicatum promoverer &c. Jam enim ex auro bibebat, & foderatas vetes portans, inter duces & comites conspicuus videbatur, nihilominus cum multa gratitudine memor fuit pristinæ humilitatis, quod maxime probandum est in omni homine: quam iucunda hæc prophetia illi fuisset, si quis tempore egressionis primæ vel in domo paterna hæc prædictisset: Hinc principum contubernialis erit, huic ad mensam recumbenti nobiles, & lecto ægrotanti comitisse sedulo servient: quam insperate hoc sonisset in auribus ejus, præsertim si adiecisset, coram isto Electores Imperii adhuc capitia sua deponent. Et tamen omnia hæc ita vidimus impleta. Sed ipse vir sapientissimus, & magnus ex minimo effectus, ad honorem verecundus, ad servitia sibi exhibita pavidus fuit, maluit honorare, quam honorari, servire, quod ingenuæ complexionis est signum. Ex quo accidit ut quo annosior fiat, eo sit venerabilior & gratior. Hoc namque inter mortales difficilimum est, gloria invidiam vincere, aut gloriosum esse, & invidorum infectiōnem non perpeti. Huc accedant plateales domicelli nostri, & omnes per totum orbem petulantes adolescentuli, quilibet patrimonia dilapidant, qui cuneos ante comedunt, & postea panem furfureum vix inveniunt: accedant & huic viro memorabili cæterisque similibus se comparant. Hic tuguri exili oriundus ita in mundo vixit, ut cunctis honorabilis absque omni querela proficeret gloriæ domus Dei non solum in clenodiis poveheret, verum etiam novas structuras erigeret. Vos autem de sublimi quotidie ruentes de malo in pejus, tandem vitam excedendo, postea præter satorem nil relinqitis.

De mechanicis ferme tacuisse, quantum sudorem, quantum laborem inveniunt, antequam officium discant insuetum. Videbis fortasse aliquem ex his ad argentarium confluere, præsumens agrestes manus, quas providentia sulcandis cespitibus aptarat, fulgentibus metallis, gemmisque radiantibus applicare. Proh superi quot peregrinos ictus fulminat noster rudiolus in manueta (ut sic dicam) metalla, quot curvas trahit lineas, quot gemmas oblique dijudicat? Sed non impune. Sicut enim alii facit, sic fit sibi. Percutit & percuditur, trahit & trahitur, judicat & dijudicatur, imo acerbe corripitur & increpatur. Volat preceptoris pugnus in dorsum, palma in maxillam. Digihi auriculas fatigant, capillos evellunt. Os repletur increpationibus, convicis tumet. Revertere, inquit, tu miserabilis bestia, tu obristate asine, ad porcos pascendos. O tu bufonice Westphale, quid huc venire voluisti, qui grossior es, quam fabarum stramen? Usque quo patiar te? Usque quo pudori eris officiæ meæ operariæ? Quam diu pavor instruxisti? Jam hoc, jam illud fregisti, jam cuncta quæ docui neglexisti.

In omni-

In omnibus his ille adhuc ineptus & insulsus, manet inexpugnabilis & imperterritus. Sed sedamus quæ sequuntur. Noctes ducet insomnes, nihil desperans, & nulli obirascens, velut naturaliter sciens, quod labor improbus omnia vincat. Vidimus de his profecisse quosdam, & ita invitis, ut Baronum instar stipata famulorum caterva tempora paterent. Erat eis vestitus de panno pretiosissimo, pellibus multicoloribus ornatisse subductis: possederant & omnia quæ ad ornatum magnificientiam spectant. Stupui adhuc, præsertim cum quendam de sociis nostris quotidianum teatum toga succlamantem seriosus audissem: Ipsi sunt servi patris mei. Sed nos ad cervisi in reversi, inter nudos parietes frigimus, paucas portiones quas facultas habere potuit insuantes, ipsi vero in laqueatis tricliniis tremulas pultes, jura glauca, specieras dapes gustando, eum peregrina pocula in argento sordebat. Nil nobis profuit ingenuitas, nihil contulit libertas, aut iolennior emissio, quin potius Altissimo supremas grates reddidissemus, si quæ narravimus, in valculis ligneis amphorisque terreis, affluerent per singulos dies. Non laudo pompam nimis prodigam, non ridiculosam japhantiam, non epulas infastas, quippe quæ recidivandi occasio- ten velociter præbent, sed mysterium patientiae intueor.

Non infimam laudem hæc habet, Seneca testante, qui ait, Virilis animi robur est, scire verba devorare. Sed non minus est post fortunæ arrisum, se intra se continere, & non ambulare in mirabilibus supra se. Magis ergo placet quod nuper à tribus audivi, incedere videlicet ea forma quam à parentibus didicerunt, ne pavoni quis similis aut gruibus esse comprobetur. Vidi (in vicinus eorum) talia in preciosissimis vestibus pericula, ut me non delectet hujusmodi por- ture. Demum pauperes omittere non decet, sed aliquid pro ipsorum consolatione apponere.

Non enim omnes legati nostri ad primorum proficiunt statum, sed quidam sicut intra provinciam in sudore querunt panem. Reperi unum de his in Daventria, qui molarem manibus tra-xit prodeo frangendo, cui hoc ad magnam laudem ascribebat, quod pauperculam matrem longe possum nutriebat, de his quæ victu suo superesse potuerant.

Alius quidam à facie gladii fugiens, in Metim civitatem pervenit. Occurrens autem cui- dum in famulum conductitum assumpitus fuerat per aliquot dies. Horum hæc aut consimilis ratio- natio extitit: Mandat Dominus hæc & illa homini simplici & sine felle. Facit omnia, & plus quam imperabatur, ac melius, dicitur ad mensam, ponitur vinum, panisque cibratus cum fercu- lis solitis. Pavet famulus, attingere non audet, secum anjoco agatur, an serio, perqvirit.

Animatus à familia gustat cum ceteris, nunquam se talibus refectum jurat. Venitur ad vesperam, iterum refectus, manum extendere jubetur, ut nummos recipias. Jam qui faciem ser- vili videret, mente exhilararetur. Stupet post vina & epulas pro modico opere argentum largiri. Quid putas nox illa peperit? Manet dominus absque somno, timens ne alter grossolum præcipiat. In turbum formidat famulus nuncium, ne locus suus alteri deputetur. Crepusculum in desiderio ei. Tandem post assueta actionem dicunt: Hannike, vis ne redire in patriam tuam? At ille: Non ego bona fide. Oporteret me ibi esse servum, & alteri proprium, ac durissima quæque perpeti, comedere panem nigrum, & ptlanam bibere. Ego volo hic manere &c. O populum dignum ubi contubernio, qui ita nosti filios educare, ut cunctis provinciis apti sint. O præclara virtus patientiae, quæ etiam de minimis docuisti homines reddere grates Deo.

CAPVT VII.

De affinitate Westphalia ad ceteras provincias.

Dabitores sumus principaliter Deo, parentibus, & patriæ. Ex his enim esse habemus, educationem & conservationem. Deinde amicis & benefactoribus, sine quibus nullus eligeret vivere super terram, quia teste Tullio, *Nihil est dulcissimum quam habere amicum, cum quo sic omnia loqui audet et tecum.* Post istos vero illis obligamur, qui ex eis nati sunt, & qui proximis, eo amplius. Obligatio autem hæc sive debitum quatuor respicit, scilicet honorem, amorem, suffragium, & solarium. Prima duo creatorem attendunt primo & principaliter. Secunda duo, proximum, tamen simul quodammodo omnibus impendenda sunt. Cum ergo Westphalia co- gnitionem specialem habeat cum omnibus provinciis, restat secundum verum dictamen rationis, quid singulæ provinciæ Westphaliæ specialiter venerari & amare teneantur, & ei suffragium & solarium impendere, prout res postulat & tempus permiserit. Rursum quia Westphalia omni- um provinciarum beneficia participat, sequitur quis eas honorare & amare debeat, ac bonum ipsarum omnitempore promovere. Quod si ubique non poterit, tamen in bona voluntate obli- gua manebit. Generaliter vero omnes Christiani sibi mutuo in his vicissitudinem reddere tene- tur, & alter alterius substantiam & famam non lacerare, sed salvare.

Ut autem ostendamus hanc affinitatem per orbem diffusam, occurunt duo exempla in duabus illustribus domibus Westphaliæ, quæ hodie cunctis principibus Christianitatis sanguine conjunctæ sunt. Una est de Marka, quæ comitem habet inclytum ducem Clivensem, cuius pa- ter West-

ter Westphalico sanguine oriundus fuit, qvamvis domicellus Gherardus germanus ipsius, cum dem comitatum habuerit ad dies vitæ suæ. Hic dominus dux Joannes & comes, nepos est magnifici Domini Caroli ducis Burgundiæ, ejus industriosæ potestas hodie cunctis provinciis numeratur ad correctionem omnium animarum errantium. Altera est de Rausenberch qvæ habet comitem dominum Gherardum ducem Montensem & Julianensem, qvina natione Westphalus cum imperiali stirpe Saxonum connubia junxit, qvæ ducibus Bavorum, Australium, Nicanorium, Hassonum, Brandenburgensium, & aliarum illustrium domorum affinitatem semper proxima fuit. De reliquis generosis stirpibus Westphaliæ, qvales extra provinciam crebro principes habuerunt longum est differere. Unum scio episcopum tantæ probitatis existisse, ut qvædam potens dice- sis ipsum requireret & eligeret, atqve defensaret cum grandi periculo & damno suo, contra alium de sua diœcesi progenitum.

Facile nunc ad inferiores parum descensus, & ratio in promptu est. Cum enim Westphalia mittat natos suos iuorbem à diebus antiquis, & non ut cæteræ nationes, scilicet remeandi in patriam gratia, sed ut maneat ubi cunqve sibi commodum repererint, ipsique in omnibus matrimonia contrahant locis: seqvitur, qvod non faciliter homo recti exempli & sermonis solidi amare audebit, se nullam venam Westphalici sanguinis traxisse à progenitoribus suis. Qvod si hodie quis nihil de talibus sciverit, rem ipsam perpendat, & vero verius esse intelliget, ipsos Westphalos ab annis mille & ultra fungi per orbis climata sibi solita legatione, vixque magni esse nominis in magna civitate hominem qui nihil cum Westphalo sanguinis commune habeat. Restat igitur ut omnes hanc generosam provinciam honorent ac diligent, qvæsi progenitricem suam, vel ad minus affinem suorum progenitorum secundum verisimilem conjecturam.

Restat, ut cuncti Westphalico solo progeniti, omnes provincias mundi venerentur, & specialiter ament, tanquam suorum ingenuorum exulum gratiosas receptrices atqve promotrices. Qvis enim ex nobis cum secura conscientia dicere audebit? Nemo unquam ex meo sanguine illum vel illam regionem intravit, aut participavit eisdem? Habet hoc generosus animus, ut ad gratitudinis formam prætendat. Qvod si quis ita extremi ingenii sit, ut hæc non capiat, nostra benevolentia citius compati assuevit, qvam indignari.

Veruntamen qvod cœpimus proseqvamur, Domino Apostolico cum suis Cardinalibus ac curiali freqventiæ supremas grates reddimus, qui seqenter nostros exules recipit fame ac fidite attritos, & cum gloria summoqve apparatu remittit. Dominis Patriarchis, Archiepiscopis, episcopis, abbatibus, collegiis, monasteriis, cæterisque personis ecclesiasticis, has ipsas referimus, aut ad minus habemus, qui id ipsum per omnia faciunt, aut secum eos retinentes, aut prætos collaterales constituentes.

Domino Imperatori multas tribuat piissimus Deus felicitates, cuius aqvilaris & elevata super omnes magnificentia pauperes Westphalos non despicit, sed eos passim recipit, & qvædam comites palatii, qvosdam secretarios, qvosdam taxatores augustalium litterarum, sigillorum, causarum, privilegiorum, aliorumqve qui tantæ celitidini congruunt, gratiose creat Dominus regibus ducibus, marchionibus, comitibus, domicellis, illustribus, baronibus & militibus, curialibus, droslatis, præfectis, majoribus, cæterisque qui secularem statum regunt, æque bene faciat Deus, ac ipsi cum nostris exilibus faciunt, gratiam præstantes, honoribus honores cumulant. Provincias universas dirigat Deus in bonum, & multa felicitate reficiat, qvomodo non abiciunt in opes neqve despiciunt desolatos.

Verum enim uero extollamus in cælum Coloniam nostram doctissimorum sapientissimumqve virorum gloria semper famatam, qui non levem, sed solidam semper disciplinam excoluere, & neqvisimos hereticos, Judæorumqve sordidissimos amatores fortiter constanterque supplantarunt. O beata & inlyta urbs urbium Colonia, qvot pannos, gementes, desolatos, & fientes Westphalos suscepisti, eosque clementer educasti? donec serico vestitos, alias consules, alias civilium contuberniorum magistros efficeres. Benedicta sit, Geldriensium, Clivensium, Julianensem, Brabantinorum, Flandrinorum, Zelandinorum, Hollandinorum, Traiectensium, Frisonum, Hassonum, aliorumqve in circuitu populorum natio, qvomodo bene agitur cum peregrinis nostris apud vos, & dum de panibus vestris gustaverint, redire dissimulabunt.

Experimento etiam didicimus, qvod longe amplius vos nostros, qvam nos vestros hospites suscipitis. Nobilis tu Anglia & ab antiquo cognata, in ævum sis Domino Deo recommendata, qvoniā nedum nostrates apud te ditas, sed ultro, cum nobilibus rebus preciosissimaqve supellestili transmittis. Francia, plebs ingenua, te protegat Deus, qvæ nostris servis es salutis portus, & instituendis nobilibus virtutis forma. Præcellens Saxonia mater nostra & Domina, tibi jugiter bene sit in mari, & interra, qvæ legatos nostros tibi ipsi æqvas, hodieqve in Augustali urbe Lübeck sororii mei auunculum auro vestis, ac perpetuo consulatu nobilitas. Thuringia, Polonia, Hungaria, Svevia, Rheniqve provincia tota nobilissima & optima, grates habeant multas, qvoniā gratiose præfert nuncios qvos misimus, & cohæredes facultatum suarum facit. Qvomodo amplificabimus Prussiam & Livoniā? Qvæ gens illuc proficit ut nostra. Qui principes, qui gubernatores urbium, nisi legati nostri, aut ex illis progeniti? Dania, Svecia, Norvægia, ceteraque ultramarina

tramarina loca, benedictionem accipiat à Domino, qyoniam tenues legatos nostros ditare solent, Solennistu Venetorum prædominans potestas vale, & solito more legatos nostros inter optimates tuos & decem viros conscribere ne diffidas. Honorata tu Italia, Hispania, Scotia, Hybernia, cætræ que nationes Europæ in Domino florèt, & cum ad gloriam veitram humiles nostri legati avenerint, ea qva decet pietate suscipite, sperantes qvod ad introitum ipsorum benedictionem procul dubio conseqvimini. Vos qvoque abruptissimæ petræ & faxei montes, cum aliis provinciis sterilibus gratias nobis agite, qyoniam ubi nec avicula habitare appetat, illuc nostri dignanter peregrini commorantes, vestram desolationem exornant. Asia & Africa heu dignæ non sunt, ut hodie per nos legatos visitentur, nisi forte peregrinationis aut negotiationum gratia, eo qvod non lex, sed fex impii Mahometi illas optimas regiones fædaverit. Redite igitur, redite & hoc iuglo colla subjecite, & dignam potestatem apud vos exerceant exules nostri, qvam fidele obsequium sapientes nuncupant, cujus ope nunquam provinciæ destituuntur, sed semper proficiunt melius.

CAPVT VIII.

De sanctis & illustribus personis, & reliquiis terra nostra.

Cum Westphaliæ conditionem, & naturam illius populi indagare cupivimus, per multas provincias longius evagati sumus. Sed nunc pedem retrahere placet, & ad ipsam recurrere, aliqua saltu enarrando, qvæ in ea memoria digna habentur vel aguntur. Et primum de sanctis & illustribus hominibus utriusque sexus illuc ortis, aut reliquiis aliunde translatis. Unde in primis occurrit memoria sanctorum martyrum duorum Evvaldorum, qui in parochia Laer superius nominata apostolatum suum inchoaverunt. Hanc reor primiceriam quo ad fidem totius Westphaliæ: qvod sic patet, qvia ante Carolum quasi centum annis vixerunt, & prædicando certa indicia reliquerunt in ea primitivæ conversionis suæ, qvæ permanent usque in præsens. Ego nihil certius, nihil vetustius reperire potui. Horum capita habentur in ecclesia majori Monasteriensi. Post illos seqvitur sanctus Lebuinus, qui etiam in diversis locis publice prædicavit, & ejus reliquiae in Daventria cum aliis sanctis venerantur. Post hunc gloriosus Imperator sanctus Carolus Apostolus noster, qui terram hanc plene convertit ad fidem: ejuscaput in Osnaburgis honorabiliter veneratur, cum sanctis Crispino & Crispiniano & aliis reliquiis pluribus. Seqvitur deinde sanctus Wædekinus olim dux vel rex illius populi, qvem Carolus de sacro fonte suscepit, & salutaribus monitis instruxit. Hic deinceps tanto studio pristinum correxit vitam, ut post vitæ excessum clareret miraculis. Ejus ossa in Engers quiescunt, id est, Angaria prope Hervordiam. Baptizatus etiam tunc fuit Albio vir nobilitate clarissimus, & virtute famosissimus. Ex hinc seqvitur sanctus Ludgerus primus Episcopus Monasteriensis, vir apostolicus, infinitis miraculis tam in vita qvam in morte & usqve hodie clarus. Corpus ipsius in Werdena quiescit.

Insuper cæteri primitivi episcopi aliarum sedium cathedralium, videlicet Hatumarus in Paderborne, & Badueradus qui ei successit, & alii in Osnaburgis & Mynden. In Oldensel sanctus Plechelmus. In Monasterio sanctus Amulricus, & sanctus Erpo. In Iburgh sanctus Benito episcopus Osnaburg. In Bremis Willehadus primus episcopus ibidem. Ansgarius & Kymbertus. In Werdena sanctus Thiadgerinus cognatus sancti Ludgeri Secundus Episcopus Halverstadiensis.

Et Willetus presbyter discipulus Sviberti episcopi. Omnes hi terram hanc meritis illustrant & patrociniis defensant. Benedictus qvoque Badueradus secundus episcopus Paderbornensis, divina revelatione confortatus, solemniter transtulit corpora sanctorum Liborii, Panacii, Turribii, Gundanisohi, Episcoporum Cenomannicæ civitatis, ad suam ecclesiam, cum multa gloria miraculorum. Eodem tempore sanctus Meynulphus diaconus, qvem Carolus de fonte sacro fustulit, monasterium foeminarum extruxit, Bodeken nomine, ubi ipse quiescit. In Hervordia quiescunt, sanctus Waltgerus, Corelphus, & Pusinna virgo. In Durrenberch sanctus Osvaldus Rex Angliæ. In Helmerdeshusen Abbatia, sanctus Modaldus, Episcopus Tréverensis, cum multis aliis. In Warburch est capsa sancti Erasmi cum tribus virginibus sacræ, scilicet Altheide Ermgarda, Gertrude. In Flechdorp monasterio Cisterciensis ordinis caput sancti Landolini abbas, cuius corpus est in pago Bœck. In Borgentrick est cultellus sancti Bartholomæi. In Aroldesthem cœnobio monialium quiescit beatus Petrus præpositus ibidem. In Sychemensi cœnobio sancta Haseka prope Schernbeke, qvæ famulam habuit devotam nomine Bertham. Beatus etiam Luthardus Clivensis comes suam terram & stirpen nobilitat, Genselinus qvoque vir nobilis licet opilio & exul pro Christo, quiescit in Slebusrode, in terra Montensi clares miraculis. Genius beatus vir & dux quiescit in Gerisheim cœnobio monialium, qvod ipse construi fecerat. In Syborch

Mmm m

Syborch

Syborch prope Westhoven sunt plurimorum sanctorum reliquiae, & indulgentiae Papales, passumque annale peregrinorum in Veteri Monte cœnobio Cistertiensis ordinis, creduntur mille virginum corpora esse, de societate sancte Ursulæ. In Tremonia sanctus Reinoldus martyr. In Sufato sanctus Patroclus martyr. In Monasterio sancti martyres Victorinus & Florianus. In Osnaburgis, sanctus Reinerus solitarius infinitis miraculis coruscans. Et sancta Alleydis extra muros. In Campenberch cœnobio ordinis Praemonstratensium, beatus Gotfridus comes. In Lengerke sancta Margareta solennem habet memoriam cum miraculis pluribus. Et est ibi passagium grande freqens & copiosum per singulos annos. In Stromberge est gratiosa crux, similiter & in Cœnfeldia digne potentibus, & propter frequentiam miraculorum peregrinatio continua. In Laer est devota invocatio sancti Georgii martyris, cuius imago sœpe bajulatur cum campanarum pulsu. In Horstmaria & in Hervordia, & etiam in Eyckrode, in capella quædam in Monasterio prope summum, est quædam singularis veneratio beatæ virginis Mariæ, & visitantes ista loca, cœbro sentiunt se à languoribus relevatos. In Stenfordia est memoria sancti Willibrordi, qui unus de primoribus prædicatoribus fidei in illis partibus, & propter maximas indulgentias quæ ibi pronunciantur à dominis ordinis sancti Joannis, est annualis peregrinatio tempore autunmal. Audivi quoque in Horstmaria esse imaginem beatæ virginis à Roma illuc translatam mirabiliter, sed quia certus non sum de relatione ista, aliis veritatem inquirēndam relinqo. Hoc tamen scio, quod est quædam fama de nobili quodam viro, dicto vulgariter, *de gude van Horstmar*, cuius epitaphium in choro ibidem depictum legitur. *Dat vuyt heyden ind kersten sagen, dat dyt weer eyn die best bysynen dagen*, hoc est, quod tam pagani quam Christiani supremæ bonitatis illi testimonium praestabant. Non omnia potui perquirere de ceteris Sanctis illic quiescentibus, præcipue in diœcesi Myndensi & locis vicinis. Cui placet, ea quæ repererit hic annotare dignetur. Intellexi ante paucos annos novam quædam peregrinationem inchoatam in oppido Blombergch, ubi continue populus confluit cum multa devo-tione.

Sunt nonnulli quibus ista peregrinatio displicet, propter certas causas, sed alii contrarium sentiunt, videlicet quod Dominus simplici populo quinque miracula ostendit ad corroborandam fidem. Nec obstat si aliquando error contingat in talibus, quæ non sunt de substantia credendorum, secundum illud Hieronymi super Matthæum. Non condemnno errorem qui ex odio Judæorum & pietate fidei procedit, quia etiam maximi doctores in hujusmodi falluntur, quādiu ergo plebs recta intentione procedit, honorandi videlicet principalem unum verum Deum & filium ejus dominum nostrum Jesum Christum, ac sanctos ejus, fidensque pie se exaudiri in invocatione sua, *dimitenda est potius in hujusmodi* (ut sic dicam) *quam impedienda*. Gaudebat olim Apostolus, si omni modo glorificaretur nomen Domini Jesu, sive per occasionem, sive per contentionem, sive quæsum, atu cetera hujusmodi. Et Dominus in Evangelio dicit, discipulis volentibus tales prohibere, Ne prohibueritis eos. Qui cunctaque enim non est contra vos pro vobis est.

Cæterum redeundo ad materiam nostram, fiducialiter loquor, quod populus Westphalicus pro majori parte devotissimus est, in jejunis præcipue, in audiendo verbum Dei, in visitandis ecclesiis, in suscipiendis stationariis, in frequentandis peregrinationibus, in dandis elemosynis, in suscipiendis peregrinis, & in aliis operibus pietatis. Simplicitati & probitati maxima pars plebis intenta est, neminem fallere edocta, & ad multas violentias sustinendas assueta.

Quod si quis objiciat de quibusdam dyscolis nolentibus gustare lexitis feriis de lacticiis, tamen diebus dominicis insumentibus portionem de rapta vacca. Respondeo quod pauci sunt tales respective, ut infra declarabitur, & nihilominus tamen in jejunis strenui. Si enim ita Deum extimescunt raptiores nostri, quid de aliis sentiendum sit, syncerus facile animus syllogizabit. Nulla provincia unquam sic dotata legitur, quin ollæ contritæ illic aliquando reperiantur. Sed à potiori res denominanda est, sicut de Hierusalem & Roma patet, in quibus gravissima piacula facta sunt, tamen dicuntur civitates sanctæ, propter mysteria redēptionis nostræ & orthodoxyæ fidei promulgationem.

CAPVT IX.

De spectabili institutione hujus provinciæ, & maximè de diœcesi Monasteriensi laudatissima.

Gloria orbis terrarum est congregatio justorum, estque antiqua prudentum sententia. Qualis rector civitatis, tales sunt habitantes in ea. Quia igitur Carolus divus princeps, erat vir potens, prudens, & clemens, ideo ministros hujusmodi suo lateri sociavit, quorum auxilio & consilio fretus, cuncta quæ gessit ad laudabilem finem perduxit. Obtenta igitur Westphalia viros nobiles & christianissimos introduxit sapientia insignes, armis strenuos, ac pietate

sepietate decoros, qui tam verbo quam exemplo populum noviter conversum, ita spectabiliter insinuerunt, ut proprio nomine quasi abolito, viri boni appellarentur. Habet enim hoc præcara virtus, ut generalem titulum honoris suis facile imponat cultoribus. Vidi plures de hac prospapia ramusculos quibus parentum probitas tanta inerat, ut boni saporis & odoris vinum, id est, fama laudabilis longius diffunderetur, & cunctos (ut sic dicam) ineibriaret. Hercule, jurarem si fas esset, me toties ex animo delectationem novam concipere, quoties illorum inclitorum domicellarum memor fiam, quantam scilicet humilitatem, fidelitatem, modestiam, affabilitatem, gratiamque proximis impendant, & præsertim subiectis sibi.

Novi qvendam in statu illo, qvod difficile est, pene perfectorum monachorum devotionem obtinuisse. Qvocunqve enim se vertebat, jugiter submurmuravit velut timore Dei ebrius dicens: Decem præcepta Dei, decem præcepta Dei.

Alter qvidam cum crebro in obseqvio civitatis cuiusdam evitaret ad dietas (ut vulgo dicitur) tenendas, & rogaretur ut stipendia ex more susciperet, ait: Absit hoc à me dilecti filii, Ego abundo, & libenter vobis gratis servio, ne paupercula communitas gravetur. Scio unumqve que difficulter satis suum panem, & qvæ ad victum pertinent, promerer.

Comitem etiam (qvem nostri altum vocant) qvendam novi, virum utiqve supremæ probitatis, cui hoc pro insperata gloria imputabatur, qvod cum in odibilibus officiis crebro fuisset, semper gloria invidiam vinceret. Nescio an erat Samueli par, aut major in hoc genere gubernandi plebem, an non: Deficiet me tempus, si cuncta retexere voluero, qvæ ad hanc rem pertinebunt. Sed utinam qvidam non aberrarent à vestigiis patrum suorum.

Et nunc qvidem ad Monasteriem dicecsem, in qua natus sum, stylum verto, cui ut arbitror nulla altera in tota Westphalia secunda est. Omnibus populosis, latior, ditior, posterior, gloriiosior narratur, nec aliquam ecclesiam in omnibus provinciis, ubi fui, reperi tam ordinatè institutam, sive in ædificiis, sive in redditibus, sive in ecclesiasticis ornamentis, ac modo regiminis. Prima ejus fundatio est, ut de genere domicellarum illic canonici habeantur, quibus diligendi episcopum ac principem auctoritas donata est. Ex his vidi devotos & humiles viros, atque adhuc unum superstitem nosco tantæ religiositatis, ut veraciter credam multis monachis de regulari observantia eum non inferiorem, sed forte sanctiorem.

Princeps autem ille, sive præsul per nobiles illos viros canonicos scilicet electus, sub se habet comites, barones, nobiles, domicellos, ac servos sine numero, curialesque plurimos pro defensione patriæ ac causis tractandis atque decidendis. In spiritualibus prælatos solito more juxta ecclesiasticum ritum, ad omnem copiam. In substantia temporalium deputatos habet à prima fundatione duodecim maiores officiarios cum curiis suis distinctos in ecclesiæ & civitatis Monasterialis, adjunctis etiam sibi (ut vulgo loqvar) Scultetis numero XLVIII, qui simul faciunt cum eis septuaginta præfectos substantiæ pontificis, juxta exemplar Salomonis regis Israel, præbentes alieniam principi per singulos dies, unusquisque in mense suo. Hæc dum ita servarentur, omnes divites & felices fuere, nullusque locus querelæ aut jurgiorum patuit. Sicque famosa hæc observatio sancta fuit ac celebris, ut divæ memoriae sanctus Engelbertus, archiepiscopus Colonensis, martyr hanc observantiam in sua metropolitana diœcesi, introducere moliretur, licet sancta morte preventus ac martyrio coronatus, id exequi nequiviverat. In ejus namque legenda sic habetur, qvod XII. Scultetos per diœcesim constituere voluit, quibus reditus suos commendaret, ut ipse spiritualibus vacaret, ac causis magnis necessariis liberius intenderet. Qvam pulcher ordo bone Deus! ubi singula membra agunt quæ sui sunt officii, & à divino regimine discrepant in nullo! qvam sit autem irrationabile & Deo ingratum transferre terminos quos statuerunt patres nostri, sacra scriptura testis est, ac aliæ historiæ sanctæ, præsertim ubi aliquid committitur in præjudicium sive damnum proximi. David enim cum injuste privasset Myfiboseth paterna hæreditate, graviter punitus legitur, qvia teste Lyra ob hoc nepos ipsius Roboam XI. tribus sive ducatus amisit. Et ita de multis legitur.

His exemplum recens superaddo, qvod oculis vidi, auribus audivi. In præfata diœcesi Monasterensi, cum qvidam in episcopum ex more electus fuisset de genere comitum, & omnia casta plena reperisset, nescio quo spiritu tactus, duas curias officiaris hæreditibus abstulit contra voluntatem ipsorum, redditis tamen quibusdam aliis licet non æqualiter. Putabat enim se juste hæc facere potuisse. An autem peccaverit, an non, Domino Deo committo. Hoc unum scio, multis scilicet illum conviciis ob id ipsum laceratum fuisse. Scivi eundem crebro infirmum, & in florida ætate vita functum. Fuit tamen princeps providus, pacificus, & in pluribus commendabilis. Post eum Germanus ejus electus erat, qvi nullo pacto possessionem obtinere potuit, licet maxima pars domicellarum cum multis principibus in circuitu, partes ejus adjuvaret. Verum qvo iudicio hæc facta sint, discutere non valens, ad pristinam sententiam securus recurro, sciens qvod eadem mensura remetietur unicuique, qva ipse aliis mensus fuerit. Ait enim sanctus Gregorius super Ezechielem homilia, 6. Hoc nos debemus exhibere proximis, qvod indignis nobis a creatore nostro conspicimus exhiberi. Oportet sic fieri nobis, sicut aliis facimus. Hanc autem consimilem sacræ scripturæ admonitionem ad multa similia posse referri arbitror, felicemque

animum fore qvem aliena pericula cautum faciunt. Sententiam notatu dignam olim memorabilis Soinus protulit, qualiter videlicet Roma à conditionis suæ anno DCLX. turpi inopia præcipus suas partes auctionabatur, ita etiam ut qvo plura raperet, eo infelior redderetur. Ait enim, Considereret urbs Roma tempora sua, cum qvæsi inexplebilis venter cuncta consumens & semper cœriens, cunctisqve urbibus (qvas miseris faciebat ipsa miseror) nihil relinqvens, nihil habebat, & simul domesticæ famis ad continuationem bellicæ inquietudinis aut civilis exactionis trudebatur. Qvi habet intellectum calculet numerum diœcessis nostræ, & si à gloria primævæ institutionis usque ad hunc numerum aliquid simile repererit, vigilantius penset, acne prioxa succrescant, diligenter invigilet, obicemqve periculis opponat.

CAPVT X.

De excusanda patria nostra in quibusdam.

Oportet hic apologeticum texere, de nostra hac provincia excusanda qvoad aliqui, & præsertim qvoad duo, videlicet rapinam & dolositatem. Crebro hæc audivi, & jam versiculi in orbem transferunt, Westphalus est raptor, &c. Westphalus à fallo, &c. Dico qvod sentio. Qvoad primum, Pauci sunt respetive ad bonos, qvi nobis hanc infamiam fecerunt & communiter de generatione domicellorum. Qvo ad secundum risu moveor, mendacium rejiciens, qvamvis apertum (ut dicitur) mendacium responsione dignum non sit. Cunctis ergo provinciis sic loqvor, adeo scilicet grossas esse fraudes Westphalorum & apertas, ut facillime possint deprehendi, & statim dum aliquid licet rude protulerint, ad proximum le convertunt dicentes: Ego etiam aliquid scio, &c. Communiter ergo tales loqui nesciunt, & tacere nequeunt & per conseqvens citius se fatuos, qvam eruditos ostendunt, suntqve communiter de genere plebejorum. Qvod si quidam versipelles sint & angvilla lubriciores, pauci qvoqve respetive & ut primi degeneres maculam dant ingloriam patriæ suæ. Sed nunc de raptoribus parum annexo. Vitam ipsorum qvæsi quiddam de mirabilibus mundi aspicio. Sunt namqve de generosa prosapia, proceri statura, viribus fortes, animo industrii, benevoli ex natura, cupidi honoris, apud suos fidelissimi, solo necessitatis articulo violenti. Si ad solvendum symbolum redditus haberent, nunquam de taberna ob rapinas exirent, multa docet eos mala, & impellit infusa pauertas. Hæc verba præferunt super. Illuc facile inveniens qva alibi perduntur. Ibi Deus Domini non habet. Ibi vertitur credo, & finitur pater noster &c. Videres in eis non sine lachrymis (ut puto) formosos domicellos, pro vili victu & vestitu quotidianie agonizantes, patibulo & rotis se offerentes, ut inediā famemqve repellant. Ipsis pro summa justitia est, litteras diffidatorias vicinis quandoqve mittere, & deinceps rata esse omnia ac honore digna qvæ patrent. Sanquinem non sicuti, dominia, usuras, tornamenta, pompas sumptuosas, neqve faciunt, neqve super cor ascendunt. Tantummodo victimum obtinere suprema illis est salus. Hercule, juro si fas est, qvod tales ipsorum deliciae magna mihi pœnitentia esset. Noviciatus hoc est tyrocinium martyrio comparatur. Rapti enim de cunabulis qvinqvenses super sellam legati, altis caballis imponuntur. Robusti deinde eqvites diætas quandoqve plures faciunt, aliquando post cenam in lectis quieturi. Infantes vero absqve omni dispensatione sepeliuntur fimo stercoreo, inde non surrecturi usqve qvo veniat magister stabuli. Post ea eqvorum urina madefacti, egestis cooperiis morsibus examinati, iætibus læsi. Jam domicellus adveniens præcipit ut exerceantur tyrunculi, si forte alicujus profectus bellici in eis sit spes. Verberantur, objurgantur, lacerantur, & ultra qvam dici possit, infantilis ætas laborare jubetur. Eadem fere disciplina est in curiis principum, qvi ex æquo urgentur ad bellum. Deinde cum validior facultas accrèverit, ad clypeum vocantur, baltheo arcuali cinguntur, hasta, cuspede, gladio, & sagittis ornantur, & mox velut patibulo consecrati, ad campum animose procedunt. Si prævaluerint bene est, si vero suspendio interire cogantur, non magna cura. Principales autem Domini, velut ex honestate gladio reservantur, aut si tanta impietas est, rotis impununtur. Hæc est hæreditas servorum hujus seculi, qvi patria voce canunt dicentes. *Ruten reue daten is gheynschande, dat doynt die besten van dem Lande.* Latine sic, Non est scandalum armis vacare & rapinis undecunqve se & familiam nutrire, rationem stulte allegantes, talia scilicet facere meliores de patria. Deus bone, si isti sunt meliores, qvid de pejoribus sentiemus? Denique rusticæ respondent. *Hangen, raden, koppen, stecken, en is gheyn sunde, were dat nit, wy en behelden niet in dem monde.* Hoc est: Decollare, rotere, suspendere, transfodere raptore, non est delictum, quoniam nisi hoc esset, omnis status mundi fame periret. Hic pia corda evigilent, & misericordem Dominum suppliciter exorent, ut tantis calamitatibus finem imponat, tribuatqve rusticis & mercatoribus gratiam humilitatis, ut prosperis illecti, petulantés non fiant: raptoribusqve paratum tribuat, qvo hujus mundi non dico prospera, sed extrema adversa contemnant, & ad conflictum contra Sarracenos procedant.

Prob

Proh Superi, maneo mihi metipsi in hac parte ignotus. Non potest animus ab his martyribus savelli. Martyres sunt, si non Dei, tamen diaboli. Aliqvando in contubernio ipsorum fui non rapiendo, sed convivando saepius. Hoc paucis dicam. Neptem nostram aliquando cum apparatus armorum propter hanc deprædationum necessitatem alio duximus desponsandam. Erat sponsus ejus mixtim de genere domicellorum atque majorum. Nuptias grandes fecimus, militarium, majorum, rusticorum non minima copia advocatur. Aliqvant etiam cives cum prædictis domicellis intererant. Verum enim uero quod æquissimum ast infero, sponsæ hujus genitoriusculus meus longe maiores nuptias in loco natali suo fecit, ubi summa pax colebatur, & multa (ut sic dicam) clenodia à circumcursantibus quemadmodum putabatur ablata perdidit, tanta tamen fidelitas servabatur, ut etiam fortuito amissare stituerentur. Soror item mea ex incuria togam post cistam cadere permisit, diu querendo velut furto ablatam de ea rehabenda desperavit. Jurantibus autem civibus, quod nequaquam ita credere deberent, sed servi isti nobilium fidelissimi in hac parte essent, assensum multi propter cultellos barbaricos & habitum quem gestabant, adhibere noluerunt. Sed recentibus nobis, eadem toga tamquam si apud legales & amicos hospitauisset ad dominam suam relata est.

Hæc breviter dixi, ut e vicino ostendam hos pauperes raptiores, non ita perversos esse sicut à quibusdam judicantur. Sciunt enim quo in loco & contra quos, & quando, & quomodo res talis peragenda sit. Unde non sunt omnia semper in malam partem accipienda. Spero etiam quod pluribus eorum dominus spiritum compunctionis & gratiae dederit, ut errata in melius comitarent, aut religionem intrando, aut nudis per orbem pedibus peregrinando, aut contra infideles pugnando, aut aliis operibus bonis insistendo, celebre exemplum ad posteros transmiserent.

Verum enim uero ut ad rem veniam, puto ipse, quod sicut teste Livio & Floro cives Romanorum postquam orbem domuerant, & in urbem redierant, pauperesque facti agros dividendo, civilia bella suscitabant, ita Franci divisam inter se Westphaliam, cum singulis sua portio diminuta videretur, eadem discerpserunt, & vicinus cum vicino comedere tentabat. Sed potentioribus forti præsidio se munientibus, violentosque à se expellentibus ad loca prædicta transmigrarunt, quibus usque in præsens eruptiones multas fecerunt, veluti antiquam injuriam vindicantes. Terra enim Westphaliae tota ad agrarios respicit, neque ponderosa telonia, neque flumina naviga, neque nundinas provinciales habet, aut similia accidentalia, unde quæstus varios conquirat, ergo deficiente rustico similiter tota concidit. Majoribus itaque suas curias ex pacto retinentibus, tatera plebecula tantum numerum domicellorum nutrire neqvivit: quare non mirum si haereditaria paupertas apud quosdam inoluerit, præsertim apud illos qui preciose viventes, cuncta quæ sitam sunt absque sollicitudine consumperunt.

De mechanicis etiam nihil regulariter loquendum est, qui pro magna parte sub fortuna vivunt, quasi de manu in dentem, neque his rebus alios nutrire præalent, qui vix sibi sufficiunt. Etenim si quæstus pinguis est, facile in sublime tendunt, donec rursum marcescant. Si autem tenues, etiam coquunt tenues pultes: possunt tamen plerique eorum ex eventu fortuito plurima locari atque largiri.

Est ergo prædicta infamia rapinarum magis ex necessitate, quam voluntate, magis ex passata justitia, quam debachante sævitia. Unde ei aliqualis venia debetur. Et si non potest excusari ex toto, potest tamen extanto. Si autem patres illi cum sancto Carolo huc non venissent, & animam suam in manibus suis non posuissent, terra utique Westphaliae in fidelitate permanissem. Grates igitur reddamus sanctis patronis nostris, & proles ipsorum cum pia supplicatione trahemus, ipsosque humiliter moneamus, quatenus ab vitiorum anfractibus se abstrahant, & paternarum probitatum exempla (quæ plurima audivimus & aliqua vidimus) etiam in se Christiano more nobis animose ostendant.

Exemplum autem breve illis raptoribus, hic offerendum censui, ne desperent de venia. Sancta quædam persona in cœlum rapta, vidi animam quandam multis gaudiis perfusam, de qua intellexerat, quod esset minima inter omnes cælicolas. Quæsivit igitur cuius conditionis fuisset. Respondit illa, ego fui anima eiusdem raptoris domicelli, & nunquam aliquid boni feci in tota vita mea præter in ultimo exitu à corpore: tunc enim cœpi gemere cum proposito emendandi vivere licuisset. Ob hæc gratiam consequutus fui, reclusus tamen in purgatorio acerbissimo per centum annos. Peccavi autem magis ex conseruudine, sicut ab infantia edoctus fui, quam ex malitia.

CAP VT IX.

Exhortatio ad domicellos pro antiquis juribus conservandis.

Divina sapientia de se loquitur, dicens: Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Hanc præclaram sententiam incliti domicelli & militares auscultate, & ejus iugo colla vestra subjicite. Testamentum sanctum patrum vestrorum servate, & neque ad finistram

Mmm m 3

sinistram neque ad dextram declinate. Non vos grandia super humanam rationem divina auctoritas seqvi jubet, sed qvæ in prospectu sunt, plebiscita sancta zelare. Et quid vobis salubrius audiendum est, quam illud sapientis eulogium: Ne transferas terminos, qvos statuerunt patres tui. Denique ars & providentia regendi potissimum sumenda est ex regula, quam habet communis usus provincia vestra, à sancto Carolo & aliis venerabilibus dominis institutam: hec si custodiatur, prospera & reformata erunt omnia: si vero negligatur aut contemnatur, illico vobis eveniet qvod per quendam prudentem dicitur: Qvia non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam. Advertite, si placet, qvibus his canon ita subservit, ut gloria vestra? Jam maiores pro maxima parte vobis obtemperant, jam spiritualia, jam temporalia in manibus vestris sunt. Si cœperitis hoc testamentum immutare, nulli amplius quam vobis ipsis nocebitis. Soli vos estis qvos observantia antiqua famosos seu famatos splendidosqve constituit. Cauete cum providentia vobis: Hoc enim qvod habetis alii ardenter concupiscunt. Securi eritis, si consuetum recum vestris subjectis vixeritis. Omne insolitum habetote suspectum. O quanta mala novorum introductio crebro peperit! Facilius in solitis perseverainus, & incertum est de futuris, an unquam tale robur habebunt. Hoc est qvod olim Moises filiis Israel dixit, qvod nihil ita ut patrias leges observarent. In hoc enim eritis (ait) gloriosi, & coram cunctis gentibus spectabiles, si servaveritis qvæ ego præcipio vobis. Et utique ita factum est, qvia nullus contra eos ante pravauit, quam legem Domini penitus negligerent. Tunc enim in direptionem venerunt, & hostibus suis substrati leguntur. Simili modo de vobis cogitate, & si aliqua exempla habetis, cum illis conferte, videbitisqve an unquam prosperati sint, qvi à testamento sancto recesserunt.

Pensate an iccirco à sancto principe illic constituti sunt parentes vestri, ut rapinas exercerent, aut raptoribus consentirent, vel favorabiliter dissimularent, subiectos etiam ultra constitutum gravarent, redditus principum fraudulentiter usurparent, aut pignorum colore detinerent, suos, inquam, æqvales jam attenuatos totaliter, velut buccellam panis deglutirent, miserabilem personarum causas suspenderent, occasions quererent, ut simplices sub colore iustitiae convivium solvere cogant. Potationes, jurationes, conspirationes, occisiones, usuras, elationes, fraudes, promissiones subdolas, irrisiones, obloquviones, luxurias, incestus, minas protervas, ceteraque his similia facerent: & demum exhortationes sacrae scripturæ contempnerent, primas leges despicerent, sacros canones abjicerent, & de sententiis excommunicationum nihil curarent, immo ex hoc magis infeliciter diabolo traditi gloriarentur. Summe jurarem si opus esset, qvod si sanctus Rex Carolus aliquem in suo comitatu reperisset, aut propriogadio trucidasset, aut non minus quam nequissimum maleficium qvatuor equis extentum, cunctisque artibus diruptum, horribili neci tradidisset.

Sed & hæc scitote, qvia non minus potens nunc est, quam tum fuit, immo longe potentior, & ad faciendam iustitiam zelosior. Ita de omnibus venerabilibus viris & progenitoribus vestris sentite, nec quisquam filium aut filiam liberavit, nisi fuerint imitatores operum bonorum.

Si forte dicat aliquis ex vobis, jam tempus pessimum esse, & cuncta per abruptum agitari, & iccirco spem nullam remansisse correptionis militarium, dico qvod eo amplius insudare tenemini, & fiducialiter sperare in adjutorio altissimi, dicendo: Tempus faciendi domine: dissipaverunt legem tuam. Nec vos terreat magnitudo operis, qvia paulatim longius itur, & qvi in Domino sperat, confirmabitur. Qvomodo autem incipiatis, optime vos scire arbitror, & qvod à quodam nobili Domino didici hic annecto. Convenientibus vobis in unum qvi divites & incliyetis, fide præclari, & famosi in populis, sic simul commentemini. Ecce charissimi, ut cernitis, stirps nostra ab olim spectabiliter quotidie imminuitur, hæreditates nostras alieni possident, servi facilius mutuo accipit, & locat qvæ vult, & nostra legalitas pergit in derisum & opprobrium. Omnium istorum causa est negligentia nostra, qvia nos mutuo non diligimus: nec uti patres nostri solebant, excessus corrigimus, aut nobis ipsi dum opus est succurrimus. Timendum valde est, nisi remedium apponamus, hæc de qvibus querimur in statum longe laxiorem casura, & ut in vicinis provinciis cernimus, tandem omnino defectura. Percutiamus igitur foedus inter nos, & pauperes amicos nostros juvemus intuitu Dei, ne passim posselliunculas suas vendere cogantur. Hec sit prima solicitude nostra, & videbimus auxilium Domini super nos. Deinde paulatim trahamus ad nostrum propositum cæteros, qvibus nobilior inest sangvis, ut auxilium ferant, & ad repandam militarem disciplinam porrigant manus.

Non dubium est qvin si decem aut viginti, vel plures sic concordaverint, & secundum ecclesiasticam cautelam se mutuo intellexerint, & juste per viam regiam incesserint, nullum opprimentes, nullum etiam quantum possunt in jure suo neglexerint, statim apud Deum & homines gratiam invenient, & prosperabuntur in singulis, qvæ ad sui status gloriam spectant. Expedit etiam aliquem locum amplissimum & maxime cunctis idoneum eligere, sicut in dicecesi Monasteriensis habent, & vulgo dicitur dat lärer broeck, ubi annuatim ad minus semel conveniant, & de his qvæ ad rem publicam pertinent, diligentius tractent, & omnis pompa, petulantia, spectacula,

cola, ludi, mulierum item frequentia, ceteraque levitatum ridicula vitentur, ne mysterium prudenter in lasciviam corruat sive stultitiam.

Talis autem locus, forum Caroli solemniter nuncupari potest, sicut olim apud Romanos forum Sempronii, vel Appii, aut Julii. Nosco vos & incliti domicelli, & vere nosco urbanam verecundiam vestram, & quod de novitate tituli formidatis, quam (ut vero verius vobis cum loquar) si clerici & religiosi proximi non haberent, non tot hodie praedica possiderent, aut retinere velerent. Negligentia disciplinae vestrae ipsos cautos efficit. Contendite ergo pro viribus: Contendite, inquam, certatim omnes & aliquando incipite. Nam medium facti (ut dicitur) quicœpichabent. In aincipiti profecto erit tota gloria & substantia vestra, nisi omnia in melius, & in bonum publicum commutaveritis.

Postremo autem si specimen hoc antiquæ vestrae nobilitatis animose resumpseritis, & nullum in consortium vestrum admiseritis, absqve testimonio bona famæ, nullumque excluderitis ejusdem propositi virum, salva proportione status sui, & principes & tota patria vos ante oculos habebunt, & nihil absqve vestro consilio concludere audebunt. Habet enim hoc divina sapientia, ut suos cultores glorificet, & qui se secundum ipsius monita regulant, etiam si plebeji sint, spectabiles in orbe toto constituant. Quanto magis & vos sublimabit, qui à progenitoribus vestris & famam legalem & inclytum sanguinem trahitis, ac præclara quidem ejusdem sapientiae judicia servare contenditis?

CAPVT XII.

Exhortatio ad maiores pro gratitudine & concordia servanda.

Concordiæ bonum diligit auctor pacis Dominus Deus, & grates referentibus dona multiplicat. Sicut ex superius dictis patet. Antiquitus enim Westphalia per satrapas plurimos regebatur, qui singulis pagis præsidebant, sed propter infidelitatem & duritiam cordis substituerunt, & venit eis prophetia sancti Lebuini quæ supra posita est. Verum perversissimis quibusque exterminatis sive fugatis, reliquum multa gratia fidem receperunt, & in curia suis permanserunt, & posteri dehinc eorum usque in præsens, ad quos nunc sermonem dirigo. Hoc vos ego *caro vestra & sanguis*, ut gratitudinem & concordiam servetis cum domiciliis & principibus vestris. Scio quibus lovor, quoniam nihil conqueri poteritis juste de immutatione status vestri. Nam per conversionem ad Christianam fidem facti estis multo nobiliores patribus vestris, olim idolatriæ vitio deditis, dicente sancto Petro: vos genus electum gens sancta populus acquisitionis, regale sacerdotium. Similiter quoad status secularis conditionem, *licet umbrata sit ingenuitas quorundam*, propter causam superius expressam, tamen in veritate est longe facilior, quippe quæ à maximis periculis eruta, grandi securitate tripudiat.

Hoc autem triplici testimonio breviter persuaderi solet. Primo ratione, & 2. auctoritate, exemplo. Ratione sic, Cum enim natura humana sit valde passibilis, & ad opera gravia ex se insufficiens, & facillime periclitetur, ideo quicunque ad officia regitiva & bellica assumitur sive iuste sive injuste, pondus onerosum potius quam delitosum experietur. Pondus autem premit, & gloria (quia fallax) decipit: Dulcedo, n. gloria etiam humillimas mentes afficit. Ideo quicunque ad hujusmodi anhelat, seipsum ignavum ostentat, quia contra suam propriam salutem laborat, & quicunque ab his absolvitur, merito gratus esse debet, veluti gravi fasce liberatus.

Auctoritate sic: Salvator noster ut evangelista testatur, cum sciret quod populus cum vellet regem facere, fugit, & discipulos à fastu gloria compescuit, dicens: Qui voluerit inter vos major fieri, erit omnium servus. Beatus quoque August. quarto de civi. Dei hoc pulchre dilucidat, dicens: Non vanescamus inani ventositate lactati, neque altisonis vocabulis obtundamus aciem mentis, sed duos constituamus ante oculos homines. Unum mediocrem, alium prædivitem. Cogitemus divitem hunc timoribus anxiū, miceribus tabelcentem, cupiditate flagrantem, nunquam securum, semper inquietum, perpetuis inimicitarum contentionibus anhelantem, augementum sane his miseriis patrimonium suum in immensum modum, atque illis augmentis curas quoque amarissimas aggerentem. Mediocrem vero illum re familiari, parva atque succincta, sibi sufficientem, charissimum suis cognatis, vicinis & amicis, dulcissima pace gaudentem, pie-tate religiosum, benignum mente, sanum corpore, vita parcum, moribus castum, conscientia securum, nescio an quisquam ita desipiat, ut audeat dubitare, uter eorum præferendus sit. Ut ergo in his duabus hominibus, ita in duabus familiis, ita in duabus populis ita in duabus regnis regula sequitur æquitatis, quæ vigilanter adhibita, si nostra intentio corrigatur, facilime videbimus, ubi habitet vanitas, & ubi felicitas. Haec Augustinus.

Exemplo sic. Præsuppositis his quæ in sacra scriptura legimus, & aliis libris authenticis, ubi omnes stirpes nobilium cum maximis periculis collapsas cernimus. Etiam nunc superaddo unum

unum exemplum, qvod vos merito consolari debet & informare. Novi qvendam optimatem 25. te annos, XL. de forte vestra supra modum animosum, ita litigiis assuetum, ut cura ipsi præcipua esset in juventute, ne rubigo arma obtegeret. An libentius ad conflictum contra æmulos, ad convivium propter amicos accederet, non facile dixerim. Erat ei studium venationi insister, alea ludere, ineibriari, nulli cedere, cunctos ad certamen provocare, &c. His & similibus factionibus potenter tumens, omnibus timori fuit, ita ut proprio nomine obliterato, diceretur avis rapax, vir belial, archineqvam &c. Dixi saepius in corde meo: *Iste est de generè majorum fratrum Satraparum illorum, qui olim sancto Carolo, per XXXIII. annos tot bella suscitauit, qvalia nunquam in orbe habuit.* Verum illi qui eum diligebant, dixerunt ipsum esse virum bonum cuiuslibet demcello preferendum, strenuum defensorem pauperum, legalem, prudentem, inclytum, consolatorem & sublevatorem oppressorum. Hoc enim habuit excellenter à Deo sibi datum, ut milierabilium personarum causas egregie expediret, nec diligere poterat oppressores justiciæ. Puto qvod propter hoc crebro ab insidiis hostium liberatus fuerit, & ipse qvoqve hostes qvos ad interficiendum qvæsivit vel forte expectavit, non invenit. Undique igitur triumphavit, & exigente vicinorum probitate (qvod dictu mirum est) nunquam captus, nunquam lethaliter vulnerans, pene usqve ad centesimum annum pervenit. Verum qvod dicere cœpi, iste vir postqvam adorrediisset, & uxore ducta, deliciis insolitis & divitiis affluere cœpisset qvam misere & periculose tam qvoad corpus qvam qvoad animam, vixisset. cunctis persuasit, & præseruit filiis, ne quis eum in hac furiali conversatione imitaretur. Dicebat enim, Si aliquis filiorum meorum talia facere attentaret, qvalia ego, vellem eum esse mortuum.

Comparate nunc charissimi securum statum vestrum ad hujus seculi naufragia, periculaque negocia domicellarum & principum, qui vos studiose defendunt, & gratietate. Revolute sancti Pauli monita, & libenter eis solita stipendia exoluere, ac honorem impendite. Vos ad incunabulis usqve ad senilem ætatem quieti manetis, parva & de lectabili cura familiam regentes, ac deinceps de sancto ocio ad mortem tenditis. Ipsi vero nunquam vel uno anno liberti a summis periculis, sed continuo, si occasio se offert, pro vitro vini & mensura havenæ pericula offerunt. Qvanta damna hostes vobis inferrent, si ipsorum præsidio non fulciremini? Quibus autem ipsi curis, periculis, ac laboribus fatigentur, neminem scire posse arbitor, nisi qviperulum fecerit. Sentiebat hoc olim Rex ille subtilis judicii, qvem ferunt sibi traditum diadema, priusqvm capiti imponeret diu retinuisse & considerasse atqve dixisse: *O nobile magis, qvam felicem pannum, qvem si qvis penitus cognoscat, qvam multis scilicet sollicitudinibus & periculis sit refertus, humi jacentem non sublevaret.* In eandem sententiam Flaccus Horatius canitens: Beatus ille qui procul negotiis, ut prisca gens mortalium paterna rura bobus exercet suis, solitus omni foenore. Neqve exigitur classico miles truci, nec horret iratum mare, iorumque vitet, & superba civium potentiorum limina. Narrat etiam Solinus egregiam sententiam de Diocletiano, qui voluntarium ocium elegit, beatus se vivere cognoscens in agris rui, qvam in fastigio imperiali. Venientibus enim amicis & postulantibus, ut principatum semel depositum reciperet, dixit. Utinam possetis olera nostris manibus instituta videre, profecto nunquam istud attentandum judicaretis. Consenuit ergo præclaro ocio in villa qvadam, & dominationem, tanquam pestem, detestabatur.

Gaudete igitur in Domino, qvomodo tam divinorum librorum scripta, qvam secularium philosophorum dogmata, partem vestram præferunt. Nihil novum moliri vadeo, sed vos mutuo juvate, ut in testamento sancto perleverare possitis, donec hoc tempus pauculum percurrat, qvod vos ad æterna gaudia introducat, per merita sancti Caroli legislatoris vestri, sanctique Ludgeri, ac omnium qui vos in terra Westphalia præcesserunt, & per patrias leges sua merita auxerunt, ac præmia immarcessibilia percepérunt. Tribuat hoc vobis omnipotens Deus pater castis per unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eo in unitate Spiritus Sancti vivit & regnat, benedictus in omnia seculorum. Amen.

CAPVT XIII.

Exhortatio ad omnes Westphalos in generali.

Naturali inclinatione unumqve ad suum simile convertitur, & omnis homo est naturaliter omni homini amicus. Præcipue tamen qui eodem sanguine aut patria sunt progeniti. Hanc ingenuam dilectionem Westphalia supreme habet, in qua odibiles dissensiones nunquam fuisse legimus, sicut in plenisqve aliis provinciis. Ejus qvoqve legati, qui vere naturam radicis Westphalicae sapiunt, eandem fidelitatem sibi vicissim extra patriam compatiuntur, ac mutua charitate succurrunt, Sentio idipsum in me, qvamqvm pro affectu pio conterraneos meos promovere non possum. Idipsum aut qvod electissimum est libens offero, videlicet ut per singulos Dies saltem qvalemcunque oratiunculam, & in divinis maxime sacrificiis patri misericordiarum offeram pro eis.

Insuper

Insuper & hanc exhortationem , in patriam & in orbem mitto , obnixerogans ut legalem famam à parentibus ab olim usqve in prælens ad nos transmissam , in timore Dei & simplicitate cordis ad posteros propagare studeamus . Non minima (mibi credite) nobis dona contulit altissimus , qvi in admirabile lumen suum nos vocavit , & per cunctas orbis partes nostrum nomen cum uide & gloria divulgavit . Vbi qvælo reperietis coemeterium aliquod in quo sacri Westphalorum cineres non sint . Vbi ecclesiæ , ubi monasteria , ubi oratoria , ubi peregrinationes invenietis , ubi fogultus eorum ac sacræ preces non sint fusæ .

Tantis igitur exemplis provocati nobilitemus vocationem nostram per opera bona , ut Deo pariter & hominibus præstems obseqvia grata . Et licet omnibus sive in patria sive extra patriam , aut qvibuscunqve mundi angulis constitutis loqvatur divina exhortatio , illos tamen amplius tangit qvi majora dona perceperunt , sicut scriptum est : Cui multum donatum est , multa reqvirentur ab eo . Visiguit prælati cæterique viri spectabiles , qvi de nihilo crevisti in sublime , pristinam maxime modestiam , humilitatem etiam , & mansuetudinem retinete . Sitis liberales erga pauperes , humani in subiectos , gratiosi ad omnes .

Hujus exemplum egregium præbuit Trajanus ille memorabilis Imperator , qvi licet minus dare natus , omnibus tamen principibus antefertur . Fuit enim in utilitatæ civilitatis , & fortitudinis , æqualem se omnibus exhibens , amicos salutandi causa frequentans , vel ægrotantes visitans , vel cum filios dies habuissent , convivia cum eis indiscreta vicissim expendens . Culpantibus autem amicis qvod nimis communis esset , respondit egregiam auditu sententiam , *talem esse Imperatorem privatis , quales esse sibi Imperatores privatus optasset* . Ob hanc tam grandem humanitatem , meruit à Domini preservari , ne sententiam damnationis acciperet , donec beatus Gregorius post annos CCCC . LXXVI . cum suis precibus ab ardoribus sempiternis liberaret . Huic sententiæ Seneca recte alludens ait : Quid te super servum tuum elevas ? Parumper expecta , statim mors veniet , & te parem illi efficiet . Non haec ita sint dicta , qvali paterfamilias nunquam debeat castigare petulantiam servorum , aut vicinorum delicta reprehendere , si occasio se præbeat , sed ut bestiale crudelitatem (qvæ bonum rationis non audit) ab animo penitus excludat . Mansueta severitas plurimum ad gubernandum valet . Satis namqve magnanimitatem ipsam natura vobis subministrat , qvæ à tribus ferociissimis gentibus radicem trahit , videlicet Gothis , Saxonibus , & Francis . AGothis enim grossitiem , à Saxonibus vehementiam , à Francis industriam , veluti naturali origine trahimus , qvæ tamen omnia dura necessitas temperat . Caveat ergo generosus animus exemplo David admonitus , qvi tempore genitatis optimus fuit , sed regno adepto in crudelitatem & dolositatem atque intemperantiam tamquam spiritus corruit .

Grande hoc exemplum etiam seculares libenter confirmant dicentes : Non est facile absq; virtute ferre bonas fortunas . Ad magnam igitur virtutem descendat , qvi magna consequutus est . Refert antiquitas , semper humanam conditionem hoc habere , ut facilis adversa & infelicia possit sustinere , quam prospera . Denique magnanimitas licet sit præclara virtus , tamen ejus exercitium cum summa difficultate retinetur . Nunc autem quam sit difficile in magnalibus ambulare & animosum cor à crudelitate præservare , duo inclita exempla docent , qvæ Solinus refert libro . XIII . dicens , Vno tempore duarum sublimium personarum virtutes non parum claruere . Ambrosii videlicet Episcopi , & Theodosii Imperatoris . Erant ambo & naturali dono magnifici cordis , & ultra quam credi potest ad ardua proni . Sed præsul sicut doctior , sic & cautor : imperator vero cum non sibi prospiceret , graviter corruerit . Casus talis in Thessalonica accidit . Orta seditione , judices quidam à civibus lapidati sunt . Commotus imperator , iracundia non refrenavit infirmitatem , sed pellit indifferenter occidi nocentes cum innocentibus , ita ut septem milium impleretur numerus . Qvod audiens beatus Ambrosius , fortis athleta impegit in fortem , & maxima fiducia ipsum prostravit . Nam longo tempore etiam ultra octo menses excommunicatus imperator contabuit : & post absolutionem ac acerbissime objurgatus , super pavimentum pronus jacuit , manibus barbam capillosque evelens , frontemque percutiens , veniam impetrare poscebat . Demum inter catena pœnitentia opera , hæc in mandatis accepit , ut legem ederet , qvæ decreta furoris evacuaret . Hujus tenor talis erat . Theodosius Augustus Flaviano præfecto , &c . Si vindicari in aliquos severius contra nostram consuetudinem pro causæ intuitu jussierimus , nolumus statim eos aut subire sub pœnam , aut extipere sententiam , sed per dies triginta super statuta eorum sors & fortuna suspensa sit . Reos sane accipient vincula , & excubii solertibus vigilanter observant . Qvælex haec tenus observatur .

Sed nunc & venerabiles legati , hæc suprema dogmata tantorum principum , ac principalium virorum studiosius auscultate , qvidnam fuistis , cogitate : qvid sitis attendite : qvid statim eritis , perpendite . Gratissimi eritis promotoribus vestris , si legaliter gubernaveritis ministerium & officium qvod suscepistis , si benefactori & omnium largitori devoti fueritis . Hæc propensius annotavi , qvia nihil ita timeo in vobis , sicut hæc duo mala germina , qvæ cunctis præcipuis viris insidiantur , superbiam videlicet & saevitiam . Proh nephias ! qvot vidimus de baculo pastorali abstractos ad delicias , & statim tumuisse , sed justo dei judicio mox in pristinam pauperiem corruisse . Vos autem viri cordati , qvi omnia experti estis , nec gratis panem manducatis , ad dei gloriam collatum vobis servate honorem .

N n n

norem. Non prospera elevent, non adversa perturbent. Multum utiles esse potestis qui multa vidistis. Maturitas venerabiles, benignitas amabiles, humilitas imitabiles constitut. Proles & familiam sic educate, quales vos esse & illas habere vultis. Subjectis item quid expediat, diligenter pensate, de fugaci hac vita mox finienda jugiter cogitate, quid omnium domino placeat implere satagite, ipso eodem auxiliante, qui in trinitate perfecta vivit & regnat per omnia secula seculorum benedictus. Amen.

CAPVT XIV.

De gratiis exhibendis deo pro illuminatione nostratum.

Gratias humiles nunc in ævum agamus Domino Deo nostro, pro illuminatione terræ nostra, & perseverantia in sancta & orthodoxa fide ac multis electis hominibus, quos in ea fide legit, & jam in æterna beatitudine secum collocavit. Suspiremus ad illos, & ita ipsorum exempla imitari studeamus, ut partem cum eis habere possimus. Sic vivamus ut nos mortis hora paratos inveniat. Et quia laqueis multis & periculis involuti sumus, ipsos sanctos patres ex toto cordis affectu invocemus, ut ipsorum suffragiis adjuti, cum fructu maximo in via domini proficiamus. Hoc siquidem libenter faciunt, & grataanter acceptant, quia noster profectus est ipsorum specialis & laus & gloria.

Postremo libellum hunc ad anachoretas vel monachos non dirigimus, sed ad illos potius, quos distractior cura temporalium gravat. Hi si nihil de suis in nostris literis repererint statim fastidiunt, si nihil de nostris, minus proficiunt. Miscui ergo secularia spiritualibus, quatenus honesto solatio recreati ad seriosa fructuosis recurrent. Vos quoque viri spectabiles quos negotium aeternæ salutis angit, hortor ex corde, his intendite, & si quae latius aut strictius posita sunt quantum ratio recta dictat, emendate, corrigite, amputate. Beneficiat vobis Dominus Deus, sive in patria sive in quocunque terrarum angulo sitis & meminerit testamenti sui, quod pro humilibus & infidelibus sanctum est. Omnis enim qui se humiliat exaltabitur, & omnis qui se exaltat humiliabitur. Nihil nobis gloriosius sit in hac vita, quam deo & proximo fideliter servire. Salvator namque exemplum queruit, quod etiam postea verbo explicavit dicens: Non veni ministrari, sed ministrare. Ita & nos cogitemus qui christianismus, quia gloriosum est sequi dominum. Si quid adjicitur sive substantiae, sive honoris, non ut mercedem laboris, sed ut adjumenta suscipiamus virtutis. In mente veniat, quod opus bonum duplicum habet mercedem. Vnam temporalem scilicet vestitum & vestitum, sine quibus non vivitur in hoc ærumnoso mundo. Et de hac dominus dicit: Dignus est operarius mercede sua. Secundam æternam, scilicet præmium speciale in caelis, propter intentionem, ut domino deo placeamus: vel studium, ut ipsum non offendamus. Et de hac dominus dicit: Amendico vobis, si quis dederit his calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli, non carebit mercede sua.

Ecce charissimi, quam felix conditio nostra, sive pauperes, sive divites sumus. Utroque nos divina misericordia in immensum remunerat, utrobiisque dicat, utrobiisque nobilitat. Tantum faciamus, quod in nobis est, & ipse faciet quod in se est, aderitque feliciter nobis, per unigenitum suum dominum nostrum Jesum Christum, cum quo in unitate Spiritus Sancti vivit & regnat Deus, per omnia secula seculorum benedictus. Amen.

* * *

INCIPIT TABVLA SVPER LIBRVM DE
LAVDE ANTIQVÆ SAXONIÆ, NVNC WESTPHALIÆ DICTÆ.CAPITVLA PRIMÆ PARTIS
HVJVS LIBRI.

De situ Westphaliæ & eorundem principatum distinctione.
Vnde processit gens Westphalica, & de primis cultoribus terræ illius.
De moribus Westphalorum antequam ad fidem converterentur.
De simplicitate & pacifica conversatione primorum incolarum hujus terræ.
De honesta & rationali causa peregrinationis Westphalorum per orbem.
De victoria Saxonum habita contra Anglicos.

Cap. 1.
Cap. 2.
Cap. 3.
Cap. 4.
Cap. 5.
Cap. 6.
De qua-

De quibusdam virtutibus Saxonum istorum. p. 36.

Cap. 7.

**SEQVVNTVR CAPITVLA
SECUNDÆ PARTIS.**

D E conversione Saxorum antiquorum ad fidem, & primis parentibus ibidem.	Cap. 1.
De Carolo Magno & Pipino ejus patre & aliis qui hanc terram armis ceperunt, & fidei sub-	Cap. 2.
diderunt.	Cap. 3.
De primo ingressu Caroli in Saxoniam.	Cap. 4.
De rebellione Saxonum.	Cap. 5.
De pertinacia & præliis Wedekini.	Cap. 6.
De ultimis bellis habitis contra Saxonem.	Cap. 7.
De pace facta & conversione Wedekini.	Cap. 8.
De solemni instructione episcopatum utriusque Saxonie.	Cap. 9.
De consummatione & confirmatione Saxonum, & adventu sancti Leonis papæ in provinciam.	Cap. 10.
De Canonizatione sancti Caroli, & periculis post ejus obitum emersis, & conversione quatuor pro-	Cap. 11.
vinciarum magnarum.	
De institutione provida quoad utrumque statum, & legibus ac juribus illic per Carolum traditis.	

**CAPITVLA TERTIÆ PARTIS
QVÆ SVPER JVCVNDISSIMA
SVNT.**

D E apostolatu Westphalorum per orbem.	Cap. 1. & jucundum,
De legatione Westphalorum per orbem. p. 124.	Cap. 2.
De modo egressionis legatorum horum.	Cap. 3.
De quibusdam exemplis, & varia fortuna legatorum istorum.	Cap. 4.
De exercitiis legatorum horum.	Cap. 5.
De multiplici patientia legatorum istorum.	Cap. 6.
De affinitate Westphalia ad cæteras provincias.	Cap. 7.
Defunctis & illustribus personis, & reliquiis terræ nostræ.	Cap. 8.
Despectabili institutione hujus provinciæ, & maxime diœcesis Monasteriensis,	Cap. 9.
De excusanda patria nostra in quibusdam.	Cap. 10.
Exhortatio ad domicellos pro antiquis juribus conservandis.	Cap. 11.
Exhortatio ad maiores de gratitudine & concordia servanda.	Cap. 12.
Exhortatio ad omnes Westphalos in generali.	Cap. 13.
De gratiis exhibendis Deo, pro illuminatione nostratum.	Cap. 14.

XXVI.

**ADDITIONES ET EMENDATIONES AD
VITAM B. MATHILDIS REGINÆ GERMANIÆ,
extantem Tom. I. pagina 192.
ex MSv.**

Vitikind quoque, qui inter eos (Saxones) & claritate generis & opum amplitudine eminebat, quoque perfidiae eorum auctor & inventor indefessus erat, ad fidem Karoli sponte veniens, apud Tinacum baptizatus & à Rege de fonte susceptus est; sicque Saxonia tota superata & subiecta est. Hujus Witikindi filius *Wigbertus*, Christianæ religionis cultor devotus, filium procreavit, quem *Waltbernum* vocavit; qui & ipse ab ipsa infantia religiosus, cum factus esset vir, Romam causa orationis & reliquiarum acquirendarum tenuit, corpusque Sancti Alexandri, filii Sanctæ Felicitatis integrum accipiens à Pontifice tunc temporis *Leone*, in Saxoniam detulit, & in loco, qui dicitur *Wigaltingohusen* (a) locavit.

Nnnn 2

(a) hodie Wildeshausen.